CENTRALE V.E. II

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
23 H
10

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-19.B.33

1013.36.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD NOVAS

DECISIONES SACRI SENATVS PEDEMONTANI,

ADDITIONES

Per doctiſsimum Præſidem

ANTONINVM TESSAVRVM

Olim Collectæ:

NVNC VERO

GASPARIS ANTONII TESSAVRI,

Antonini filij I. C. & in eodem Senatu Senatoris, labore, & ſtudio conſcriptæ, ac innumeris eiuſdem Senatus Deciſionibus ornatæ.

CVM PRIVILEGIIS.



Ex legato Ill.mi Coccini

VENETIIS, MDCV.

Apud Iacobum & Io. Antonium de Franciſcis, fratres.

COPIA.

GLI Eccellentiſſimi Signori Capi dell'Eccelſo Conſiglio di X. infraſcritti, hauuta fede dalli Signori Riformatori del Studio di Padoua per relation de i doi à ciò deputati con giuramento, cioè del Reuerendo Padre Inquiſitor, & del circonſpetto Secretario del Senato Gio. Marauegia, che nel libro intitolato, Additiones ad nouas Deciſiones Senatus Pedemontani Gaſparis Antonij Teſſauri, non ſi troua coſa contra le leggi, & è degno di ſtampa, concedono che poſſi eſſer ſtampato in queſta Città.

Dat. die 16. Septembris 1604.

D. Z. Battiſta Vitturi }
D. Antonio Lando } Capi dell'Eccelſo Conſiglio di X.
D. Zuſtignan Contarini }

Excelſi Conſ. X. Secret.
Bonifacius Antelmi.

1604. a' 17. Settembrio.

Regiſtrato in libro.

Antonius Lauredanus Officij
Con. Blaſph. Coadiutor.

ILLVSTRISSIMO
ET EXCELL.^{MO} VIRO
FRANCISCO CRAVETTAE
SACRI SENATVS PEDEMONTANI PRIMARIO PRÆSIDI, ETC.

Gaſpar Antonius Teſſaurus Senator, Fœlicit.

QVÆ tua, in me profecta ſunt, gratiora officiorum, ac beneficiorum merita (Præſes integerrime,) patentiore aliquo accepta non ferre teſtimonio parum grati animi futurum ſemper exiſtimaui. Dudum ſiquidem fęlix mihi contigit, te primario in Alma hac Taurinenſi Vni-

Digitized by Google

uerſitate Doctore, ſacris legum elementis initiari; fœlicius, exoptatis à te doctoratus inſignibus, exornari: Fœliciſsimum verò, in ampliſsimum Senatorum Ordinem Collegam me tibi adſcribi; tuis etiam, ad hoc, præeuntibus auſpicijs, ex mei tibi credito examine, ac proceſſus, de more referendi, aſſignatione; Indeque, ob lateris tui proximum acceſſum, & ſplendorem ſapientiæ, illuſtrari, ac fœcundari ingenium meum: Cuius ideò nunc in lucem mittendos nouos partus Tibi debitos iure conſtitui, grati animi officium perſoluturus, (Additiones inquam,) pro caſuum, & cauſarum varietate, ac opportunitate diſcuſſas, & contingentes, ad Deciſiones, recolendæ memoriæ genitoris mei Præſidis Antonini, conſcriptas. Quarum lectio interdum, in ocio grauiſsimarum occupationum, negocium tibi factura non videbitur, vel ex eo, quòd plurimarum tuarum ſenſum releges opinionum, ac ſententiarum ſelectarum. Illas igitur (Vir Sapientiſsime) ſerena fronte accipe, nec deſpice, quòd, ſub nominis tui præſidio, ac ſplendore literis proditæ, tuorum in me collatorum beneficiorum, meique ſimul in te

non

non ingrati animi memoriam perhibeant ſempiternam. Vale, meque, vt ſoles, ama:

Ex Auguſta Taurinorum Kalendas Auguſti M DC IIII.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

VNDECIMVS *agitur annus, quo Sereniſsimi Ducis noſtri* CAROLI EMANVELIS *beneficentia, in Sacrum Senatorum Ordinem adſcitus, cauſis referendis, ac terminandis ſedulam operam impendo; quo temporis, ac muneris curriculo ſæpe contigit, vt pro opportunitate, & meritò caſuum propoſitorum Deciſiones colendiſsimi Patris mei, ſummis vigilijs à me iam pridem compactas, & in illud, quod circumfertur volumen redactas, in controuerſiam adducerentur; interdumque etiam, quæſtionibus inibi propoſitis altiùs repetitis, & æquabili perfectiſsimorum iudiciorum trutina perpenſis, plenaq; inquiſitione diſcuſsis, adeoq; etiam, vel pro ipſa temporum, ac morum varietate variatis; tùm emendando, tùm immutando, tùm imminuendo, tùm adijciendo, Annotationes ad eaſdem Deciſiones colligere, ac conſcri-*

bere

Digitized by Google

bere operæ pretium fuerit: quod, & in antiquis Rotarum variatis Iudicum ſententijs contigiſſe frequentiùs legimus; quaſi, cœleſtium inſtar Sphærarum, vagos, & volubiles hominum animos, & iudicantium arbitria cenſeri aliquando non debeat videri importunum. Cumq; Annotationes huiuſmodi noſtras, in iuſtam voluminis magnitudinem, creuiſſe iam animaduerterem, typographo aſſiduè poſtulanti edendas committere non recuſaui; tùm vel maximè ad Excellentiſſimorum Præſidum, Illuſtriumq; Collegarum meorum ſtudia, iugesq; curas, & labores forenſes, qui hodie maximi ſunt, ſubleuandos. Quos quidem ſingulariter rogo, vt hæc ipſa ſcholia læto animo, ac liberali, quali à nobis in medium proferuntur, ſuſcipiant, & foueant: Et, ſi quid in ipſis acuti, vel exculti deprehenderint, totum ſciant, qualecunque futurum ſit, me illis acceptum ferre, eorumq; ſummæ addicere ſapientiæ; ſi verò minùs politum, vel peritum aliquid occurrerit, ſolita qua ſolent humanitate ſubueniant, ac ſuccurrant animis ingenuis ingenij mei imbecillitati. Tuq; Lector beneuole, quicunque futurus es, lucubrationes eaſdem noſtras æqui, boniq; conſule; ſic fiet, vt propediem ampliores, & vberiores in lucem proferre ſim paratus, quæ aliàs domi

puluere,

puluere obſitæ, diutiùs in tenebris deliteſcent. Ego verò, ex his meis vigilijs hoc tantùm conſequi cupio, vt communi hominum conſortio, hoc paruo fœtu, prodeſſe cognoſcam; ſed ampliorem fructum cepiſſe videbor, ſi iuris ſtudioſos, in ijs intelligendis, quæ in forenſes cauſas vndecunque concurrunt, his meis Additionibus aliquantulum adiutos intellexero. Amplius illud (amice Lector) te ſcire volui, ſcholia hæc noſtra ſeorſum cudenda duxiſſe, vt impenſis eorum, qui Deciſiones impreſſas habent, conſultum iret; In altera verò editione, has eaſdem Additiones, in ipſo Deciſionum volumine, ſuis adſcriptas Deciſionibus habebis. Interim fruere, & vale.

Digitized by Google

ADDITIONES AD NOVAS DECISIONES SACRI SENATVS PEDEMONTANI, DOMINI P. TESSAVRI.

Ad præfationem Deciſionum.

ADDE *nu.primo.* Quod inter interpretes, & Doctores noſtros hoc exordio vſus fuit Matth. de Afflict. in procem. cōſtitut. vtriuſque Siciliæ; & alij permulti. ſubditq; idem Afflict. dici nouas, quæ à 40. annis controuerſæ fuerunt, quales ſunt hæ noſtræ Deciſiones, quas pari ſtudio Pater, & ego compilauimus.

Ad num.6. In enumeratione doctorum, qui ad ſua vſque tempora Deciſiones ſcripſerunt, vſus fuit D. meus eadem ſcribendi forma, qua vtitur Zabarella, qui in procemio Clemētinarum omnes illarum gloſſatores ad ſua vſque tempora enumerat, & enumeratis addere poſſumus Franciſcum Viuium, Valaſcum Luſitanum, Antonium de Gamna, Alexandrum Raudenſem, Petrum Surdum, Franciſcum Milanenſem, Antonium de Amatis; & duo volumina nunc in lucem prodita fuerunt Deciſionum Sacræ Rotę Romanę diuerſorum, ac aliud Rotæ Lucenſis, Hyeronimum Marilianum, & Martinum Monter. & nunquam finis, quia ſemper natura Nouas curat edere formas.

Ad nu.7. vbi loquitur de legibus Sacris. Adde quòd hinc Senatuſconſulta, & decreta leges ſacratæ vocabantur. Rebuff. in procem. Conſtitut. Regiar. numero 59. quaſi quòd, & à loco ſacro, & à re ſacra miniſtrantib. promulgarentur, qua de re viden. Cagnol. in l.2.nu.24. C.de reſc. vendit. Qua conſideratione motus aliquando dicebam malè ab aliquibus in controuerſiam poſitum, quis præcedere debeat miles, an doctor iuris, vel medicinæ peritus, cùm ſacra profanis ſemper fuerint præpoſita, & ſint præponenda.

Ad num.9. Seniorum meminerunt feudi-

ſtici iuris compilatores.lib.primo feud. cap.17. tit.quib. mod.feu.amitt. ibi. *Si ſeniores aſſalierint, ſi ſeniorum uxores adulterauerint, ſi ſeniores in bello dimiſerint*. Ideſt ſi dominos ſuos à quib. feudū obtinent, vaſalli aggreſſi fuerint, vel in bello deſeruerint, vt etiam notat Capic.in ſua Inueſt. feud. in verbo. feudatariorum nomina.ver.ſenior. Hottoman. in dictionario feud. in verbo. ſenior.vbi aliquas authoritates doctè more ſuo pro iſto nomine refert. Et ibidem de authoritate Senatus,vide plura per D.Menoc.de arbitr.iud.caſu.68.

Ad num.11.ſuper verbo Collegium. Adde quòd hinc Collegæ, quaſi ſimul ligati ad iuditium ferendū Senatores dicuntur, & apud Plin. iun. in Panegirico ad Traianum, Imperator ſe ipſum collegam vocat, vnde dicitur Collegium iudicum, & Collegium Doctorum.

Ad num.13. conſtitutio Magiſtratuum eſt propriè de regalib.cap.1.tit. quæ ſint regal. ibi. *Poteſtas conſtituendorum Magiſtratuum*.

Ad num.14. Quòd Duces Sabaudiæ, & alij communicata habentes iura imperij dicantur habere ſupremam poteſtatem, & ſint Imperatores in ſuo dominio,Adde Caſſan. in Catalog.glo.mun. par.12. conſiderat.58.Purpurat.in rub. de offic. eius cui mand.eſt iuriſdict. numero 20. D.Ant.Solam,collegam olim noſtrum doctiſſimum, ad decr. antiq. Sab.tit.de iur.emph.glo.1.num.1. Rol. conſ.4. num.42. lib.3. & eſt communis opinio, licet aliqui contradixerint, vt per Boſſ.de crim. læſ.Maieſta. num.56. Afflict. in prælud. ad conſtitut. Regni. quæſt.13.num.4.Nec obſtat,quod dicit idem Afflict. in tit. quæ ſint Regal.§.& bona. & Martin. Lauden. de crim.Læſ. Maieſta.quæſt.1.quia loquuntur de Baronibus, qui non habent iura imperialia, vel merum imperium. Immò ipſe Afflict.ad d.conſtitut. quæſt.1. num.4. ver.omnes enim Reges. dicit,quòd Reges habent ſupremam authoritatem in ſuis Regnis, etiamſi ſuperiorem recognoſcant, & dicta quæſt.13. nu.1. Boſſ. dicto loco. num.54. Et de illa communicatione imperij,quòd pariat idem ius cum communicante, docet locus ille apud Liu. lib.6.ibi. *Niſi imperio communicato, nunquam plebem in parte pari Reipublicæ eſſe*.

Ad num.17.& 18. De illo decemuirali,& centumuirali iudicio, quo etiam hodie Veneti vtuntur loquitur. Ouid. ad Piſonem illis verſibus.

Ardua nunc eadem ſtipat fora, cum tua mœſtos
Defenſura reos vocem facundia mittit.
Seu trepidos ad iura decem citat haſta virorum,
Et firmare iubet centeno Iudice cauſas.

Ad num.22. Circa numerum Senatorum, licet optima Caroli Em.Sereniſſimi nūc regnantis conſtitutione cautum eſſet, vt duodecim duntaxat conſtituerentur cum duobus Præſidibus, illeque numerus ſatis amplus, & ſufficiens ad omnes huius ditionis cauſas decidendas reperiretur, fuit tamen poſtea ambitione cogente, & poſtulantium importunitate mentem Principis impellente, ampliatus, & vſque ad decimumoctauū adauctus;& cum noua iterum conſtitutione de anno 1602.res ad priorem numerum redacta fuiſſet, nunc iterū omnia fuerunt iuri ſuo priſtino reſtituta, & adeò in immenſum creuit, vt magna cum iſtius ſupremi ordinis iactura, & inutili impenſa, totiusq; ſtatus incommodo, pro cauſarum minori expeditione, (quæ ex multiplicitate cauſatur) viginti Senatores vltra Capitaneū Iuſtitiæ, Vicarium, & Locumtenentem generales, ad menſam ſedere reperiantur; neque huic rei forma certa tradi poteſt, quia cum à Principe fluant, & refluant iuriſdictiones, in eius libero arbitrio poſitum eſt, vel numerum augere, vel reſtringere: De Senatoris dignitate, vide Menoch. centur.6. caſu 518.

Ad num. 24. in verbo Bonus. Adde quod in Iudice magis, quàm in alijs hominibus bonitas iſta requiritur, ſi enim orator eſt vir bonus, dicendi peritus, vt Cicero in Rhetoricis definit, & perfectus Orator eſſe non poſſit, niſi vir bonus, vt inquit Quintilianus in procem. orator. inſtit. quanto magis Iudicem virum bonum eſſe oportebit. Hæc autem qualitas optimè in eo Iudice conſiſtet, qui charitatem Apoſtoli Pauli habens, omnia cum charitate erga Deum, & proximum aget, & cum charitate non ficta cauſas diiudicabit, ſic leges ipſæ vbique ipſum Iudicem virum bonū appellant, per excellentiam, & per antonomaſiā, quaſi quòd illi ſoli bonitatis competat qualitas.

Sub eodem num. Ad id, quod dicitur de ſummo iure. Adde id eſſe quod habetur in l. ea eſt natura cauillationis. 66. ff. de reg. iur. iuſto autem etiam iuſtius inuenitur. Afflict. in prælud. conſtitut. quæſt. 11. num. 3. per l. exigendi. C. de procurato. Et iuſtius erit, quòd iuris ſubtilitate carebit, & æquitati adhærebit. Et de iſto iuſto iudicio loquitur Euangelium Io. cap. 7. *Nolite ſecundum faciem iudicare, ſed iuſtum iudicium iudicate*; quæ verba in corde Iudicum perpetuò inſcripta eſſe debent. Ad quæ omnia optimè alludit Cicero pro Cecinna. Dum inquit, ex æquo, & bono, non ex callido, verſutoque iure iudicari debere, Immò ſummum ius illud iniquitatem appellat, cui æqui, & boni nomen, ac dignitas opponitur.

Sub eodem nu. in verbo Patiens. Adde quod in hac patientia Iudicis optima Iuſtitię pars conſiſtit, ſicut in Principe audientia illa neceſſaria eſt, ne audiant vetulæ illius improperium, Si non vis audire, deſine imperare: Et ego nullam magis partem in Iudice damnarem, quàm impatientiam; Ideo cauere debent Iudices, & Senatores, ne quicquam ſtatuant parte inaudita. Nam vt Seneca in Tragod. quæ Medea inſcribitur. Ait,

Qui ſtatuit aliquid, parte inaudita altera,
Aequum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Ad num. 25. De Senatoris ætate; aduerte, quòd Senatoris ætas meo iudicio, ea eſſe debet, quæ ſaltem trigeſimum annum attingat; vt mihi Authoris filio contigit: qui in hac ætate ſtatim à morte Patris ſumma Principis noſtri accedente beneuolentia, & Patris mei memoria in Senatorum numerum adſcriptus fui; Et ſuper hoc extat non vulgaris Traiani lex, quam obſeruandam dicit Papon. Areſt. lib. 6. tit. 2. ca. 8. Quòd ſi quis, ex Principis gratia, ante trigeſimum annum in Senatorem eligatur, admitti quidem debet a Senatu, vt locum Senatoris obtineat honorarium, non autem vt iudicet. Et ita iudicatum in Magna Curia teſtatur Papon. dicto cap. 8. Extat, & lex Pompeia, quæ Bitynis data eſt, de qua meminit Plin. lib. 2. Epiſt. 83. & 84. Iuuenum autem conſilia, & opera plura fuerunt non aſpernenda, vt commemorat Tiraquell. de nobilita. in præfat. à num. 173. vſque ad numerum 178. Ex quibus colligimus non imprudenter, & iudicandi onus iuuenibus poſſe committi, prout contra ſenes illos presbiteros Deus ipſe Danielis adoleſcentuli pro abſolutione Suſannæ iudicium excitauit, videndus circa rem hanc de Senatoris ætate. Menoch. de arbitrar. cent. 6. caſu. 540.

Ad num. 26. in verſiculo. id tentatur pecunia. Adde, quòd hinc prudentiſſimè, ſapientiſſimeq; leges noſtræ, tutorem illum, qui pecunia tutelam ambit, remouendum eſſe decernunt, §. ſed ſiquis præſens. inſt. de ſuſp. tut. Immò ſicut in re ſacra obtinenda ſimoniæ crimen cōmitti dicitur pecunia accedente, idem dicere in Senatore pecunia gradum cōparante iure poſſumus, qui rem ſacram emit. vt ſupra dictum fuit, in verbo SACRI. Et hac de re nos in Centurijs noſtris feudalibus abundè ſcripſimus.

Ad num. 29. In eo, quod de nobilitate dicitur. Aduerte, quòd nobiles Senatores eſſe oportet, quia in nobilitate, animi ſemper fortitudo conſiſtit; & rarò reperies nobilem improbum; ratio eſt, quia nobilis probè agens facit iuxta naturam ſuam, ſi verò improbè verſetur, contra naturam facit: Ignobilis verò naturaliter in iudicijs improbus eſt, nec conuenienter lateri Principis aſſiſtet: prout ſolent Senatores; vt per Tiraq. de nobilita. cap. 20. num. 175. conferunt ad propoſitum, quæ more ſuo diſertiſſimè ſcribit idem Tiraquell. de nobil. cap. 5. num. 9. & 10.

Ad num. 31. in verſ. ſedente Principe. Adde, quod ſolet Sereniſſimus Dux noſter, quando Senatum adit, ſedere ſub ſolio, poſito in medio Tribunalis, in quo ſedet tempore audientiarum Senatus totus in magna Aula; & quando ſolus accedit, ſedet illi ad dexteram Magnus Sabaudię Cancellarius, ad ſiniſtram Primus Senatus Pręſes; Inde ad latera, iuxta ordinem ſuæ promotionis, alij Præſides, & Senatores. Si verò cum ipſo Duce veniunt filij ſedent illi ad latera ante Cancellarium, & primum Præſidem vnà cum Equitibus Sacri Ordinis Annunciatę; qui tamen ſedent poſt Cancellarium, & primum Præſidem, niſi ſint de ſanguine: prout factum fuit de præſenti anno 1602. 28. Ianuarij, cùm poſt mutatam ſedem Senatus è domo antiqua ad nouum palatium Sereniſſimi Ducis, voluit Sereniſſimus Dux noſter Carol. Eman. ſedere in noua Senatus Aula cũ Sereniſſimis ſuis filijs Philippo Emanuele, Victorio, & Em. Philiberto; & cum illis ſedebant Excellentiſſimus D. Henricus de Sabaudia Dux Nemurtij, & Illuſtriſſ. viri Bernardinus de Sabaudia D. Racconiſij, & Gaſpar Gebennenſ. Marchio Lulini Equites Sacri Ordinis, primo exiſtente Præſide Senatus Excellentiſſimo D. Ludouico Morotio, & ſecundo D. Clemente Vialdo, poſt confirmatam nouam illam conſtitutionem de numero Senatorum, Præſidum, de qua ſuo loco dicemus. Et cùm, vti Iudices, ſedent Senatores ad latus Principis, tecto capite audiũt cauſas, & vota capiuntur per primum Præſidem, abſente Cancellario, qui ſub nomine Principis profert ſententiam.

Ad num. 32. Ad materiam Dominus, nunc Excellentiſſimus Præſes, Menoch. de præſump. q. 1. num. 27. vbi de præiudicijs doctiſſimè diſſerit, & de arbitrarijs caſ. 68. num. 33. Burſat. conſil. 56. nu. 4. & ſeq. Maſcard. de probat. concluſ. 484. in verbo, Deciſiones, poſt Præpoſ. & alios ibi citatos; vbi voluit Rotam non facere legem; Immò nec ſententia Principis legem facit. Iacob. à Saa Luſitan. & de primogen. num. 54. poſt Bald. & Ang. niſi particulare edictum vim legis expreſsè habens faciat. Quamuis Aufrer. in add. ad Capell. Toloſ. q. 480. cenſeat, Senatum habentem authoritatem Præfecti prętorio (prout noſter habet) poſſe leges condere; ſed intelligendum hoc eſt in ſententia, vt illa vim legis obtineat, prout re vera ſententiæ à ſupremis Iudicibus prolatæ, tam iuſtè, tamq; benè perpenſo, ac diſcuſſo negotio proferri debent, vt tamquam lex pro roſtris poſita irreprehenſibilis, & firma appareat.

Sub eodem num. in verſ. tales enim ambigui caſus. Vide ad materiam Afflict. in prælud. Conſtit. q. 21. col. 2. verſic. 2. fallit. Et eundẽ morem ſeruari in magna Curia Pariſien. teſtatur Papon. in procem. Areſtor. colum. fin. congregari nempe omnes Cameras tradens in eiuſmodi ambiguis caſibus. Et in iſtis caſibus locum eſſe gratificationi dicit Marian. Soc. Iun. in l. 1. num. 27. ff. ſolut. matrim. poſt Aug. & Abb. niſi ſimus in caſibus à iure expreſſis; de quibus in cap. fin. de ſenten. & re iud.

Eodem num. ibi poſt Afflict. deciſ. 135. nu. 3. Adde quod ita de ſententijs in Romana Rota prolatis dicit Maſcar. de probat. dicta concluſ. 484. & ibi in ſpecie

exem-

Digitized by Google

exemplificat in Deciſionibus noſtri Senatus Pedemontani, & in hac ſententia conuenit Rebuff. in procem. Conſtit. num. 12. dicens magis attendi debere, quod pro lege in generali ſtatuat Senatus, quàm id quod in ſingulari cauſa iudicatur, per rationes ibi adductas. Ad illam autem varietatem ſententiarum, quæ in iudicijs proferendis ſolet vt plurimũ contingere, acutiſſimè Plinius ſecundus lib. 6. Epiſt. pen. alludit, inquiens. *Sequutus eſt varius euentus, nam duobus conſilijs vicimus, totidem victi ſumus. Notabilis prorſus, & mira res, eadem in cauſa, ijſdem Iudicibus, ijſdem aduocatis, eodem tempore tanta diuerſitas accidit, caſu quidem, ſed non ut caſus uideretur.* Et apud Terentium in Phormione. ex tribus Iuriſperitis, qui de cauſa conſulebantur vnus aiebat, alter negabat, tertius deliberandum cenſebat. De qua re aliqua ſcribit Natt. in procе. lib. 3. ſnorum conſiliorum. Afflic. in procem. Conſtit. num. 19. Et de tali variatione in Magiſtratibus Hiſpaniæ tradit Em. à Coſta in l. Gallus. §. & quid ſi tantum. num. 73. verſic. quarum, authoritate. de lib. & poſthum. & de contrarietatibus Areſtorum Magnæ Curiæ Pariſien. latè Papon. in procem. Areſtor. col. fin. referens exempla, vt ibi. Ideò contrarietatum volumina fieri poſſunt in iuris quæſtionibus, vt inquit Iuſtin. in l. pen. C. de verb. ſignif. quo fit, vt variationis inter homines non admiranda, ſed naturalis cauſa videatur; ſiquidem nihil firmum, aut immutabile, niſi in ipſo Deo; in omni autem humana ſcientia inter ſcriptores contrariari certum eſt, vt de Rhetoribus inquit Quintil. in procem. orator. inſtitut.

***Num.** 37.* In hac prolatione ſententiarum, & diſputatione cauſarum video in Senatu noſtro obſeruari ad vnguem practicam, quam per illum tex. ponit Alberic. in l. pen. ff. de his, quæ in teſtamen. delent.

Eodem num. in fine. Quid autem dicendum ſit in minoribus Magiſtratibus dicam, Deo auſpice, in meis quæſtionibus feudalibus, in quibus de iure, & authoritate Vaſallorum, in feudis, differere decreui: multa enim hinc inde dici poſſunt; & nunc D. Patris mei in maioribus ſententiam confirmo, quam & in Præfectis etiam obſeruatam antiquitùs vidimus; licet hodie multæ præfecturæ temporaneæ factæ fuerint.

Ad num. 39. Habitus corporis in Senatoribus noſtris is eſſe debet, de quo Ouid. ad Piſonem.

Talis ineſt habitus, qualem nec dicere moeſtum,
Nec fluidum, læta ſed tetricitate decorum
Poſſumus, ingenita ſtat nobilitatis in illo,
Pulcher honos, & digna ſuis natalibus ora.

Ad num. 42. ibi Gulielmus de Cuneo. Aduerte, quòd iſte Gulielmus, non fuit de Cuneo, ſed fuit Doctor Gallus de Cugno. vt dicit Io. Monta. apud Boer. in tractatu de autho. magni Conſ. nu. 155. Cotta. in memorial. in verbo Iuriſperitus.

Ad num. 43. uerſ. Poſteris imponunt. Adde, ꝙ hinc optimè ſcribit Philippus Probus, in addit. ad Io. Monacum ſuper 6. Decretal. in præfat. num. 47. quòd ſummum eſt pulchrum, & bonum obtinere nomen, & multa notabilia ad hoc colligit Rip. in cap. 1. de iudic. num. 92. Sed & inter philoſophos noſtræ ætatis doctiſſimus Card. de ſubtil. rer. lib. 11. col. 11. Quatuor hæc, quæ nulla penitus impenſa parantur, & pauperibus etiam communia ſunt, habere filios curandum eſſe dicit; pulchrum nomen; venuſtos mores, corporis agilitatem, & vt ſit ambidexter.

Ad num. 44. in uerbo Textore. Textoris nomine fortè vſi fuerũt antiqui noſtri parentes, volentes eo cognomine domus noſtræ antiquiorem originem indicare, quod à Textore Græco nobilique viro Calcantis patre initium habuerit, de quo apud Homerum non vno in lo-

co

co, honorata mentio habetur, præſertim in primo Iliados illis verſibus.

Tum cunctis toto reticentibus ordine ſolus
Calcas Teſtorides longè celeberrimus Augur,
Quem Danai tumidum ſulcantes nauibus æquor
Conſtituere Ducem ſacram Simoentis ad Vrbem
Cui Phœbus Pater ipſe ſuas conceſſerat artes.

Neque enim ſacris præficiebantur antiquitùs, niſi qui nobiliores erant, vt habetur in legibus Romuli.

Patres ſoli ſacra peragunto, plebs agros colunto.

Hodie verò Textoris illud cognomen in Teſſauri mutatum eſt.

AD DECISIONEM Primam.

AD *numerum primum*. Circa morem recipiendi vota, eundem in Luſitania ſeruari ſcribit Ant. de Gamna deciſ.1.num.11. cuius rei illam rationem adducit, ne minores formident declinare à ſententia maiorum.

Ad numerum 2.verſiculo. Tamen hic ſtylus. Eundem ſtylum in ſupremo Senatu Pariſienſi ſeruari ſcribit Apoſtillator ad Alex.conſ.202.num.7. lib.7.& quando ſumus in iudicijs, & in Iudicum numero, tantum valet votum ignorantis, quantum doctiſſimi viri, vt inquit Bal. in l.cum magiſtratu. in fine, C.quando prouoca. non eſt neceſ. ſecus verò in actibus extraiudicialibus,& voluntarijs, in quibus non numerus, ſed authoritas attenditur, vt in conſtituenda communi opinione tradit Alex. d. conſil.202. col. fin. verſ. Et accipitur magis communis.

Ad numerum quartum. De munere iudicandi ſcias, munus illud neceſſarium eſſe in ipſo Iudice electo, qui cogitur etiam inuitus votum ſuum dare, gl.in l.2.C.de proxim.ſacror.ſcrin.lib.12.Iacobin.in l.inuitus,num.4. C.de procur. Immò adeò neceſſariũ hoc munus eſt, vt non poſſint Senatores ipſi, ſub quouis prætextu, niſi de ſuſpicionis legitima cauſa prius fuerit cognitum, abdicare ſe à relatione, vel deciſione cauſæ, prout cenſuit Senatus in quadam cauſa Scarnafiſij 1591. 2. Maij. quia iſtud eſt munus publicum, & neceſſarium datũ à Principe; ſine cuius licentia non poteſt Senator à ſe abdicare, ſicut nec miles deſerere exercitum, Et quamuis ex iuſta cauſa ſuam conſcientiam mouente poſſit abſtinere; tamen debet illud notificare Senatui, vel Præſidi; ſi verò ab aliqua cauſa ex certa Principis ſcientia remoueatur, debet abſtinere; quia iudicium ſoluitur vetante eo, qui iudicare iuſſit. l.iudicium ſoluitur, ff.de iudic.

Ad num.5. Eodem iure, & ſtylo vti Conſilium Neapolitanum teſtatur Excellentiſſimus D.Vincen.de Franch. dec.252. num.2.par.2. Et in Luſitania idem obſeruatur, quia inter parem numerum votantium, illa tenet ſententia pro qua vltimus Senator, qui eſt antiquior, votum ſuum accommodauerit, vt teſtatur inter illius regni deciſiones Antonius de Gamna deciſ.1.num.12.

Ad num.8. Quòd in pari numero votantium habeatur ratio dignioris voti. Vide Franciſcum Marc.dec.5. & dec.292. nu.3.& 5.& dec.295.nu.4.par.2.

Ad num.9 in fine. Amplia ſtylum Senatus, de quo ibi vt procedat, etiamſi eſſemus in cauſa reuiſionis,& Præſes ſtaret in pari voto contra ſententiam, nam, & eo caſu ſolet pręualere illa pars pro qua Præſes eſt: ita audio fuiſſe reſolutum in cauſa Freſiæ. 1590. 17. Martij, licet hoc aliquibus durum videretur; quia ex diſcrepantia votorũ res efficitur dubia; & in dubio pro ſententia iudicandum; vnde cum iterum ſimilis caſus contigiſſet in cauſa Bonier.contra Pelicerium,

certium, in principio mei ingreſſus diſputata, referente D. Crauetta 1593. 6. Decembris, fuit dubitatum de veritate iſtius ampliationis, & licet tūc nil fuerit reſolutum in prædicta cauſa, tamen Senatus inclinabat in contrariam ſententiam; egoque dicebam tutius, & digniùs eſſe hoc caſu ſtare ſententiæ Senatus.

Ad nu.* 10 *in fi. Adde tex. in cap. 1. de arbitr. lib. 6. pro cuius intellectu videndus Didac. Couarru. lib. 1. Variar. reſol. cap. 2. num. 6.

Ad num.* 13. *Ad quod dicit de pari numero in cauſis criminalibus. Adde quòd illud procedit, ſiue ſimus in abſoluendo, ſiue in condemnando; quia aliàs non haberet locum regula dignitatis, cùm ſemper, vel cōdemnet, vel abſoluat Iudex, etiam in ciuilibus; quamuis in criminalibus ſtylus ſit, vt præualeat mitior opinio, non obſtante voto Præſidis. Immò illud vidi à prudentibus Præſidibus obſeruari in illis cauſis, vt ſi par reddatur. Iudicum numerus, & ſolus ſuperſit ad votandum Præſes, ne ſua opinio, quæ hoc caſu faceret ſententiam, damnum afferat reo, Abſtinet à voto, & res differtur.

AD DECISIONEM *Tertiam.*

A*D num.* 2. *in fine.* Adde quòd ſcribit Bernardus Diaz in pract. crimin. canon. cap. 77. quæſt. 3. Sed quo tempore iſta dos ſolui debeat, an quando petitur, an verò expectandum ſit tempus nuptiarum ipſius puellæ? Et Borgnin. Caualcan. in Repertor. ſuarum Deciſionum, ſuper verbo Matrimonium, dicit nō deberi dotem, niſi ſequutis nuptijs, & ita iudicaſſe, nec poſſe aliter iudicari; dicens vlterius non ſufficere cautionem de nubendo à muliere oblatam, quia ſub conditione debetur iſta dos. ad tradita per Capic. deciſ. 204. Cæphal. conſ. 56. num. 8. & ſeq. Ego verò dicebam in facti contingentia duram eſſe opinionem Borgnini, quia hinc dos debetur propter pænam ſtupri. Et poſſet eſſe quòd mulier ſtuprata non reperiret virum, & ſtuprator remaneret impunitus; & vidi per Senatum compulſos ſtuprantes ad ſolutionem dotis, etiā quòd mulier ſtuprata tunc non haberet virum paratum.

***Ad num.* 3. *concluſ.* 4.** Nota quòd in iſtis ancillis, & vilibus perſonis non punitur ſtuprum, niſi leuiter, Alex. conſ. 13. num. 5. lib. 7. Qualitas etenim perſonarum in hoc crimine eſt valdè conſideranda ad augendum, vel minuendum delictum, l. 2. ff. de pub. iud. l. auxilium, ff. de min. Alex. conſ. 102. col. 2. lib. 2. ſicut etiam loci circūſtantia eſt multum ponderanda; vnde maiori pęna dignus erit, qui in domo patris ſtuprat, quàm alibi; quia magna iniuria fit patri, quā iniuriam multum conſiderat Pariſien. in addit. ad Alex. conſ. 1. num. 12. lib. 3. in fine, ſicuti & iniuriarum tenetur, qui ancillam in domo alterius violat. l. inter liberas, ff. ad l. Iul. de adult. Et talis iniuria, quæ concernit honorem, & perſonam grauior eſt, l. iſti quidē, ff. quod met. cauſa. Bart. in l. non ſolū, §. ſi mandato. ff. de iniur. Et ideò punitū quendam dicit. Grammat. deciſ. vltimā, ob iniuriam factam in domo honeſtę perſonæ, licet illa mulier nō fuiſſet virgo. Quid aūt dicendum ſit in dubio, quando ancilla prægnans in domo alicuius reperitur, vide inter Areſt. Senat. Pariſ. incerti Authoris, Areſto. 5.

Sed pone, quòd virgo ſtuprata offert iuramentum illi, à quo dicit ſe ſtupratam ſuper prægnantia ex ſuo ſemine, an teneatur iurare ſuper defloratione, & videretur tale iuramentum reijciendum, quia concernit crimen, ex quo poſſet formari inquiſitio criminalis contra delatum, vel de ſtupro, vel de adulterio; Senatus autem pluries cenſuit eſſe iurandum, vel referendum; cum declaratione

tione tamen, quòd iuramentum præſtetur ſuper copula ſimpliciter, non ſuper ſtupro, & violentia, & ſuper alijs factū aggrauantibus; & vidi multoties hoc modo fuiſſe prouiſum indemnitati iſtarum mulierum, cum is, cui oblatū erat iuramentum; nollet iurare, & fuerunt illi condemnati ad dotationem, & recognitionem partus, quo remedio ceſſante, fuiſſent omni auxilio iſtæ pauperculæ deſtitutæ.

Sub eodem num. 3. verſic. ſolet practicari. Aduertas, quòd iſta practica ſolet obſeruari per Iudices Eccleſiaſticos, ſed in Senatu noſtro ſolet etiam mulctari ſtuprator alia pœna erga Fiſcum. & ita contra clarum tenet Gutierez. Canonicar. qq. cap. 37. num. 1. & 11. & num. 21. referens legem Luſitaniæ, & videtur tex. iuncta gloſ. in §. item lex Iulia. Inſt. de pub. iud. & ita cenſuit Senatus in cauſa Nigri de Collegio me aduocante 1590. 18. Decembris. Et in Baſtarda relegatum quendam per Magnam Curiam teſtatur Grammat. vot. 4. in fine, & cenſuit Senatus. 1590. 4. Septembris referente D. Mayno. Quam opinionem inconcuſsè Senatus obſeruat, quādo eum aliquali violentia ſtuprum commiſſum fuit. Immò tunc poſſet, etiam puniri pœna mortis, iux. Gloſ. & DD. in cap. 2. de adult. Bart. in l. 1. §. fi. ff. de extraordina. crim. Alex. conſ. 165. lib. 7. & 229. num. 11. lib. 6. Sed iſta non obſeruatur, ſed alia leuior, quam imponit Senatus, etiam, quòd colluſoriæ (vt fieri ſolet) Eccleſiaſticus præueniſſet; prout factum fuit in dicta cauſa Nigri, qui fuit condemnatus in libris centum vltra dotationem, eſt enim cauſa iſta magis temporalis, quàm ſpiritualis; & quādo ſtuprum eſt cum magna vi, cum minis de occidendo, & percuſſionibus patratum, non punitur adhuc pœna mortis, ex cōi, & magis obſeruata Doctorū ſententia, vt multis oſtendit Molignat. in ſuis quiſquil. c. 220. & pluries iudicauit, & obſeruat Senatus, vide Menoch. in addit. ad libro ſecundo, de arbitr. caſ. 28.

AD DECISIONEM *Nonam.*

PLura ad materiam huius Deciſionis vide per Sfort. in tracta. de reſtitut. in integr. par. 2. quæſt. 68. artic. 2. num. 15. Et an minor reſtituatur aduerſus contumaciam, vide eundem, quæſt. 82. artic. 7. Franciſc. de Cald. in repetit. l. ſi curatorem, C. de in integ. reſtitut. in verbo læſis, verſic. Hoc præmiſſo.

AD DECISIONEM *Decimam.*

AD materiam inſtantiæ circa diſpoſitionem Decreti videatur D. Senator Sola ĩ ſuis Gloſſis ad Decr. Sab. car. 148. 149. Datur autem remedium reſtitutionis in integrum aduerſus peremptā inſtantiam, ſtantibus iuſtis impedimentis: vt per Florian. conſ. 3.

AD DECISIONEM *Duodecimam.*

ABortui cauſam præbens grauiter delinquit, quia contra naturam peccat; ſi quidem hoc natura comparatum eſt, vt fœminæ concipiant, & conceptum tueantur, & ſuo tempore pariant, ad humani generis perpetuationem. Vnde Phocylides Grecus phyloſophus, in ſuis moralibus inquit. *Neque mulier corrumpat fœtum intra ventrem, neque cum peperit canibus, aut vulturibus iaciat, neque vir vxori pregnanti manum iniiciat.* Et mulcta digni quidem ſunt, non autem graui, qui prægnantem verberantes abortioni cauſam præbent, ſi non ex propoſito id fecerint; idque & in ipſo marito locum obtinebit ex Phocilidis ſententia. vnde vidi ſemel per Senatum noſtrum me adhuc cauſarum pa-

trono

trono exiſtenti, bannitum ad tempus quendam Rotam de Eugenia, ex eo quòd taliter vxorem percuſſiſſet, quòd ſequutus fuerat abortus 1591.29. Aprilis, referente D. Fauzono acutiſſimo, & doctiſſimo collega noſtro; quamuis in re hac bona ſit diſtinctio, de qua per Vlpia. in l. ſed etſi quæcumque. §. ſi magiſter. ff. ad l. Aquil. vbi glo. exemplificat in marito. latè Tiraquell. de LL. connubial. l. prima num. 22. & ſeqq. Abb. in c. cum contingat. num. 20. de foro competen. pulchrè Lucian. in ſomnio. colum. 2.

Ad nu. 4. verſi & quidem in fine. Ad illam authoritatem Tertulliani conferunt, quæ Athanagoras Græcus orator, in oratione ſua pro Chriſtianis ad Imperatorem M. Aurelium Antoninum. & L. A. Commodum ſcribit. *Et qui mulieres (inquit) medicamentis abortiuis vtentes homines occidere, & rationem reddituras Deo dicimus; qua ratione iam natos, et perfectos homines regulabimus? Non enim eiuſdem eſt fœtum inutero animal eſſe.*

AD DECISIONEM Decimamquartam.

VLtra quintam opinionem ibi relatã, adde ſextam, in illa quæſtione de reductione ad arbitrium boni viri, quę eſt vt adeatur Iudex ordinarius illius, qui reductionem petit, Andreas Gail. pract. obſeruat. lib. 1. cap. 1. num. 49. & latiùs c. 149. per totum.

AD DECISIONEM Decimamſextam.

AD *num. 6. ampliatione quinta*. Adde, quod benè, in propoſito, infert Riminald. iun. conſ. 499. lib. 5. non poſſe Dominum vnius molendini minuere cenſum in damnum alterius molendini. Et amplia id quod dicitur de molẽdino, quòd per ſtatutum non poſſit Cõmunitas habens molendina ſtatuere, ne particulares vadant ad molendinũ priuati. Anch. conſ. 155. & 198. Oza. deciſ. 17. Vincent. de Franch. deciſ. 380, Siluan. conſ. 1. num. 140. Sed an hoc pacto fieri poſſit, quando particulares promittunt cum iuramento non accedere ad molendinum particularis, ſed neceſſitatem ſibi imponunt eundi ad molendina Communitatis, an hoc liceat? Et dubium facit, quia valet argumentũ de pacto ad ſtatutum; at ſicut ſtatuto id fieri nequit, ergo nec per pactum, præſertim, quia habet eandem rationem, quæ in ſtatuto conſideratur. Secundò, quia hoc admiſſo fieret fraus tertio per indirectum. Tertiò, quia conuentio, per quam impeditur libera facultas, dicitur iniqua. vt in ſimili conuentione conſuluit Socin. conſ. 272. num. 6. lib. 2. quem ſequitur Rebuff. de magiſtr. artif. glo. 2. nu. 17. tit. 2. & per conſequẽs, etiam iurata, efficitur inualida. Crau. conſ. 622. num. 17. Seraphin. de iuram. priuileg. 61. num. 15. Sed contrarium ego dicebam in cauſa quadam Nicien. Sicardi de Pigna; quia regula, quæ habet non valere ſtatutum huiuſmodi, vel prohibitionem, illam præcipuam rationem habet, ne per cauſam tollatur ius meræ facultatis, quod priuato competit eundi, vbi illi magis placuerit, quo iure nulli dubium, quòd priuatus poteſt ſe ſpoliare, & facultati ſibi competenti per pactum præiudicare, ac ſibi legem imponere, etiã quòd per indirectum agatur de præiudicio tertij; & ita in prædicta cauſa maior pars dominorum inclinauit, in cauſa reuiſionis cenſendo tale pactum ſubſiſtere 1601. menſe Iulij, me tamen reſolutioni non interueniente, quia fueram primæ ſententiæ Relator.

AD DECISIONEM Vigeſimam.

AD *num. 2.* Quod emphiteota non poſſit inuito Domino renunciare emphiteoſim cenſuit Senatus in cauſa

Illuſtriſſimi Marchionis Eſtenſis, contra quendam de Lanceo, referente D. Broccardo 22. Septembris 1590. poſt Bart. in l. Is cum. vbi Alex. ff. de aqua plu.arcen. Quod limita quoties emphiteota non poſſet re illa frui, niſi cum maxima difficultate, quæ æquiparetur impoſſibilitati; nam tunc poteſt emphiteota liberari, quando res tota perit, & ideò, cum quis recepiſſet ius aquæ ducendæ ad molendinum, & mutato flumine non poſſet emphiteota hoc facere, ſine impenſa maiori, quàm eſſet vtilitas, alium alueum facere, dictum fuit in prædicta cauſa, poſſe renunciari emphiteoſi. Vide Corbul. de cauſ. priuat. in §. octaua cauſa. nume. 4. poſt Specul. Alber. Bal. Abb. & Tiraquel. ibi relatos.

Ibi num. 4. in fine. Vide ad materiam Riminal. Iun. conſ. 40. lib. 1. & vide eundem conſil. 49. per totum. lib. eodem. Vallaſc. de iure emphit. q. 27. lim. 1. nu. 21. Et ad materiam nota, quòd cùm nouiſſimè de ſimili cauſa tractaretur in Senatu, in cauſa RR. PP. Societatis IESV contra Communitatem Montiſcalerij, Domini dubitabant de iſta deciſione propter latè dicta per Corbul. & cenſuit Senatus ſoluendam penſionem ſolitam, ſuper molendinis antiquitùs cōſtitutam, non obſtante caſu peſtis, quæ grauiter illud oppidum, & Ciuitatem Taurini afflixit, de anno 1599. & hoc, quia nunquam aliàs talis remiſſio fuerat poſtulata, non obſtante maxima pēſione, quæ ſoluebatur 1600. 17. Octobris. Et multa in ea cauſa concurrebāt, quæ caſum illum à præſenti Deciſione diuerſificabant: & præſertim quia damnum non erat in tertia fructuum. Sed an idem dicendum ſit in cenſuario, vt fiat remiſſio mercedis in caſum ſterilitatis, vel alterius impedimēti, quo cauſante impeditur à perceptione fructuū? Et hanc quæſtionem examinans nouiſſimè Rolan. Cauagnol. in ſuis gloſſematibus ad Decreta Montisferrati lib. 2. Decr. 72. quæſt. 4. num. 26. concludit eſſe faciendam remiſſionem. per tex. in l. forma. §. illam. de cenſib. & per tradita hic à Domino meo quem allegat, & poſt Boſſ. de remiſſ. merced. nume. 118. & Virgin. de Bocatijs. de cenſib. par. 3. nume. 70. & dicit ita per Senatum nōſtrum iudicatum: cuius opinionem credo veriſſimā, tàm in emphiteota, quàm in cenſuario: Nam quotieſcumque is qui cenſum ſuper fructibus conſtituit, non poteſt percipere fructus, ex quibus ſoluere cenſum poſſit, nulla æquitas ſuggerit, vt ad ſolutionem ſit compellendus. & ita, in facti contingentia dicebam coram Senatu, vt alibi dicam, & non obſtantibus ſcriptis per Surd. conſil. 162. & Caroc. de loca. tit. de remiſſ. merced. quæſt. 8. nu. 36. Et hanc etiam opinionem tenuit. Viu. deciſ. 369. num. 11. & vide eundem deciſ. 500. lib. 3.

AD DECISIONEM Vigeſimamprimam.

SAtisfactio, quæ à Decreto requiritur, eſt omninò neceſſaria, antequàm gratia interinetur, vt forma Decreti ad vnguem ſeruetur, & ita cenſuit Senatus in cauſa cuiuſdam Notarij, qui teſtamentum viciauerat in præiudicium legatariorum; dicens non eſſe gratiam interinandam, niſi prius ſatisfacto intereſſe legatarijs, iuxta formam teſtamenti. Referente D. Senatore Humolio 1590. 18. Auguſti. & in alia Cherienſi de Penatijs. Referente D. Crauetta 1598. Et quod dicitur in hac Deciſ. non eſſe interinandam gratiam ante obtentam pacem, intelligi regulariter debet in caſu homicidij, vel vbi timetur ſcandalum in loco, ſi rediret gratiatus ſine pace, ſecus in alijs caſibus. Cæterùm ſolet etiā Senatus noſter, quando interinantur gratiæ aduerſus aliquod graue delictū in loco perpetratum, licet gratia Principis ſit ampla, & libera, mandare in interinatione, vt abſtineat reus ad tem-

pus,

pus, vel perpetuò à loco perpetrati delicti, vel homicidij, prout factum fuit in interinatione cuiuſdam gratiæ factę cuidam mulieri Cunien. quæ maritum ſuum occidi mandauerat, Et ita etiam per Senatum Mediolanenſem ſeruari dicit Boſſ.in tit. de remed. ex ſola clemen.Princip.num. 47. Et hunc ſtylum ſemper laudaui,& laudo,atque illo prę ſertim vtitur Senatus quādo delictum eſt recens,ne ſtatim delinquens ante oculos,& ora parentum, quaſi geſtiens, & triumphans in loco videatur. An autem iſta reſeruatio banni officiat gratiato circa priuationem bonorum,quādo illi auferuntur tāquam ab indigno; & per gratiam facta eſt remiſſio? Et non officere ſcripſit Bal.in l.data opera num.84.C.qui accuſ.nō poſſ. Peregrin. de iur.fiſci.lib.3.tit.7.num.7. Et plura de effectu gratiæ circa bonorum reſtitutionem,vide per Sfort. Odd. de reſtitut.in integr.q.93.art.4.& q.99.ar. 10. Afflict.in ti.de Vaſſal.decrep.æta.Ema. à Coſta in l.Gallus.§.& quid ſi tantum. de lib.& poſthum.

Sed quæſitum fuit, an mulier quæ in necē viri conſpirauit, efficiatur capax ſucceſſionis viri,& filiorum,ſtāte tali gratia; Et Senatus in cauſa de Clauaſſio,me referente,cenſuit mulierem capacem,ſed omnia bona eſſe ab ea tamquam ab indigna auferenda, & Fiſco applicanda, excluſa matre ipſius mulieris 1598.27. Ianuarij.qua de re ſcripſi in Dec. mea 735.in manuſcriptis, per not. in l. Lucius.ff.de iure fiſ.

AD DECISIONEM *Vigeſimamſecundam.*

QVid dicendum quando Clericus agit contra laicum,pro re quam tenet in emphiteoſim ab Eccleſia,petendo declarari caducam,vel canonem ſolui, an laicus conuentus coram Eccleſiaſtico, poſſit opponere declinatoriam fori? Quæſtio eſt ardua, & difficilis, & pro qua multa hinc inde dici poſſunt; cumque ſæpius fuiſſet in Senatu propoſita,ſemper fuit dubitatum:vidi tamen multos proceſſus agitari coram Iudicibus ſecularibus, & ſententias latas per eoſdem Iudices, & per eundem Senatum,tam pro eccleſiaſticis, quàm contra eos fuiſſe exequutioni demādatas; Arbitror tamen,quod ſi per laicum cōuentum res negetur eſſe Eccleſiæ, tunc rem eſſe claram, & laicum eſſe remittendum ad ſuum Iudicem competentem.per tex. in cap. ſi clericus laicum. de for.compet. Si verò ſit ſine dubio eccleſiaſtica, & tantum contendatur inter partes de caducitate, vel ſolutione canonis,tūc cauſa ſit mixti fori, & poſſit laicus coram eccleſiaſtico Iudice cōueniri; de qua tamen re latè ſcripſi in ſecunda parte.deciſ. & eſt in manu ſcriptis deciſ.766.

Ad num.4. in fin. Vide Gabriel. conſ. 37. num.4.lib.2. & An coloni Eccleſiarum ſint, & ipſi immunes ab oneribus ſicut eccleſiaſtici,dixi infra deciſ. 116. & ibi poſui in additionibus.

AD DECISIONEM *Vigeſimamtertiam.*

AN ex incendio teneatur conductor reficere damnum in re locata contingens,frequens,ſed difficilis, & nodoſa eſt controuerſia; Videri poterunt ad materiam Bald.conſil.442. lib.3. & conſ.441.lib.1.conſi.149.lib.2.Anchar. conſ.348.Afflict.deciſ.57.& ibi Grammat.Idem Grammat.deciſ. 3.& conſil. 22.Ludouic.deciſ.Peruſ.25.per totam. Menoch.de arbitrar.iud.caſu 390. Bero.conſil.vlt.lib.3. Sebaſt. Med. de fortuit.caſib.par.2.q.7.H. Gabriel. conſil. 159.lib.1.Maſcard.de probat.concluſ. 897.lib.2.Vincen.Carroc.in tractat. de loca.& conduct.par.2.ti.de incend.qui alios allegant, & omnes benè diſtinguunt.

guunt. DD. in l. 3. ff. de offit. præf. vigil. & in l. ſi vendita. ff. de peric. & commo. rei vend. Senatus in quadam cauſa Marchionatus Salutiarum cēſuit etiam pro leui culpa teneri habitantes: cùm quædam mulier, quæ domum tenebat, ſub pacto retractus, permiſiſſet tignum inijci ſuper tectum, ex quo dum deijceretur ſcintillæ ceciderunt in fœnum, per quem caſum tota domus combuſta fuit; quæ tigni proiectio, ex quadam ſuperſtitione antiqua illius loci, erat ſolita fieri; & condemnauit ream conuentam ad damna pro dimidia. 1600. 20. Decembris.

AD DECISIONEM *Vigeſimamſeptimam.*

AD *num. 3. in fi.* Pro diuiſione bonorum prouenientium à linea paterna, & materna videat textus ſatis apertus, & ſingularis in §. ſi igitur defunctus. Authent. de hær. ab inteſt. ven. vbi in ſucceſſione bonorum ſit differentia inter hæc bona.

AD DECISIONEM *Vigeſimamoctauam.*

IN *fine deciſio.* & ad materiam. Vide Menoch. de arbitrar. Iud. lib. primo. quæſtio. 34.

AD DECISIONEM *Vigeſimamnonam.*

IN *principio:* Quòd remedium illius capituli detur etiam contra bonæ fidei poſſeſſorem; faciunt tradita per Crot. conſ. 47. nu. 20. & conſ. 75. nu. 10.

Ad num. 10. in fine. Quid dicendum ſit in fideicommiſſo; an fructus veniant à die litis, vel à die poſſeſſionis reſtituendæ. Vide Pet. Ant. de Petra. de fideicomm. quæſt. 15. num. 313. vſque in fi. & vide omninò ad materiam Io. Gutierez. inter ſuas quæſtiones Canonicas cap. 34. vbi latiſſimè examinat. Et quòd, etiāſi agatur ad reſciſionem contractus propter nullitatem ex defectu ſolemnitatū orientem, lucretur fructus bonæ fidei poſſeſſor, tenet Didac. var. reſolut. libro 1. c. 3. num. 8. & ita in Gallia practicari teſtatur Rebuff. in Tracta. de reſciſ. contract. in proœmio. Quamuis contrariū videatur ſentire D. Ponte. q. laudim. 39. in fin. Cuius opinionem vidi aliquando ſequutum Senatum; & nouiſſimè, me aduocante, in vna cauſa Leuinorum de Sauiliano, in qua fuerunt euicta quædā bona vēdita à tertijs poſſeſſoribus, quæ fuerunt leuata de gagio in odium debitoris, & erant alterius; condemnauit enim poſſeſſores ad reſtitutionem bonorum cum fructibus à die poſſeſſionis 1591. menſe Iunij. Vide aliqua ad materiam per Cæſarem de Barz. deciſ. Bonon. 53.

AD DECISIONEM *Trigeſimam.*

SVb *numero ſecundo.* Pro prima opinione, adde, quòd idem tenuit alibi Iaſ. nempe in l. ſi ita quis promiſerit. §. Seia cauit. num. 13. ff. de verb. oblig.

AD DECISIONEM *Trigeſimamprimam.*

OPinionem illam Bart. quam ſub nu. 4. ſequutus fuit Senatus, amplexus fuit iterum re propoſita idem Senatus, in caſu ſatis arduo cuiuſdam Pedroni Vercellenſis, qui inter fuerat homicidio perpetrato in perſonam cuiuſdam Boriolini; qui Pedronus, habito tractatu cum ſocijs de occidendo Boriolino, illum conduxit in quandam cellam vinariam, vbi, ipſo non coadiuuante, ſed tamen cum armis aſſiſtente, fuit occiſus Boriolinus, & cenſuit eſſe furca ſuſpendendum Pedronum, quamuis de occiſore conſtaret; aliquibus tamen ex dominis reclamantib. 24. Ianuar. 1594.

refe-

referente D. Senat. Brocardo. Vide quæ ſcribit ad propoſitum Decian. lib. 9. Tra ctà. criminal. cap. 30. num. 41. & ſeq.

AD DECISIONEM Trigeſimamſecundam.

IN *verſiculo, alteram, ſub num.* 7. Vide de hoc latiùs per Seraphin. de priuileg. iura. priuileg. 71. num. 53. verſ. 3. limi. poſt Roman. Socin. Bat. Bal. Ruin. Dec. Pariſ. Lanfr. Gramma. Clar. & Didac. ibi relatos. Et quando confeſſio de dote recepta noceat confitenti, vel tertijs; vide Bal. nouell. de priuil. dot. par. 10. col. 4. verſic. Inſuper vidi dubitari. vbi diſtinguit. Claud. de Seiſſello. in l. ſi diuortio. num. 11. de verbor. oblig. Campeg. de dot. par. prima. quæſt. 52. col. 2. verſ. in tertio caſu. & ſcripſimus nos latè in deciſ. ſecundæ par.

Ad num. 13. Pro illa opinione Baldi eſt pulcher tex. in terminis huius donationis. in l. ſi inter. ff. de reb. dub. & ita vidi reſolutum per totum Senatum, in cauſa D. Sancti Amoris, Burgũdi; & in alia cauſa contra hæredes Domini Aemilij Maletti Taurinenſis, referente D. Cerua, poſtea Præſide: in qua agebatur de donatione vxoris facta marito, qui præ deceſſerat. Sed, retenta poſteriori opinione, quæ eſt magis communis, poteſt reſponderi ad dictam l. ſi inter. quòd procedit, quando nullum iuramentum eſt appoſitum, vt traditur deciſ. 70. nume. 9.

AD DECISIONEM Trigeſimamtertiam in principio.

HOc idem tenet D. Senator Sola, poſt Rebuff. quem allegat, in Decret. antiq. tit. de concluſ. in cauſa. gl. 1. ſecundæ par. num. 13.

AD DECISIONEM Trigeſimamquartam.

QVando per pactum in inſtrumento appoſitum vir lucratur dotem, an de ea mulier teſtari poſſit dubitari poteſt. & Bald. conſil. 239. Laurent. lib. 2. videtur velle, quòd non valeat huiuſmodi pactum, & eo non obſtante mulier de dote poſſit teſtari. Contrarium tamen, & verius ſcripſit Cagnol. in l. fin. num. 100. verſi. Quando autem ex ſpeciali. C. de pact. quem ſequitur Rol. de lucr. dot. q. 82. num. 7. Ozaſ. deciſ. 20. num. 6. & Cagnoli ſententiam ſequutus fuit Senatus in cauſa Galeæ contra legatarios 1597. 25. Februar.

AD DECISIONEM Trigeſimamſextam.

EX illa ignominioſæ ceſſionis formula; de qua in Decreto Amedei, hic inſerto, exiſtimo prodijſſe ſtylum Cancellariæ noſtræ de concedendis litteris ceſſionis, ſalua honeſtate; vt ſtatim legi conditæ remedium, de more, reperiretur. Ad cuius quidem conceſſionẽ aliqui ſunt faciliores; quia tale Decretum, ſeu ſtatutum non valere ſcribit, poſt Cyn. Bald. & Iaſ. Crauetta. de antiq. temp. par. 4. §. videamus modò. nu. 42. Sed, pace illorum patrum, ego teneo huiuſmodi decretum laudabile, & ſanctum eſſe, ac in Rep. proficuum, & vtile, ad reprimendam improborum debitorum audaciam; nec dici poteſt contra bonos mores; quia publicis moribus magis conueniens eſt, fidem iureiurando firmatam conſeruare, & ad negociationes homines allicere, quàm priuato homini, & infido ſatisfacere, & propterea ferè per totam Italiam, de huiuſmodi ceſſione extant ſtatuta; vt dicit Brun. de ceſſ. bonor. q. 6. principa. num. 5. Neque debent litteræ illæ concedi, niſi ex vrgenti cauſa, & quando ſi-

ne

ne culpa debitoris inopia contigiſſet; Ideo tali ſtatuto poteſt renunciari cum iuramento; nec illa renunciatio poterit à Principe remitti, fauore renunciantis, ſed benè fauore perſonarum, cuius cauſa ceſſio conceditur, prout cenſuit Senatus in cauſa Baimæ Taurinen. referente D. Crauetta. 27. Septembris 1590.

AD DECISIONEM Trigeſimamſeptimam.

A *D nu.4.* Adde, Curtium Iun. conſ. 102. num. primo. Simon. de Præt. de interpret. vlt. volunt. lib. 3. interpret. 3. dubitat. prima. ſolut. 11. nume. 59.

Ad num. 6. Vide Riminal. Iun. conſ. 606. num. 28. lib. 6. & vide ad materiam deciſionis Aretinum conſ. 143. col. pen. & fin. Crau. conſ. 800. per totum, qui cõſuluit in eadem cauſa, de qua in hac deciſ. tractatur. Vlteriùs circa materiã huius deciſ. non omitto vnum, quod contigit in facto, & eſt notabile. Teſtator, inſtitutis decedentibus, vocauit proximiorem de agnatione; dubitatum fuit, poſito, & admiſſo (prout concedebatur) quòd maſculi agnati fœminam excluderent agnatam, an, nullis extantibus maſculis de agnatione, illa verba obtinerent locum in fœmina agnata; ita vt excluderet fęminas cognatas pro ximiores, vel in pari gradu exiſtentes? Dubium faciebat, quia teſtator viderur agnationem conſideraſſe, ad excluſionem fœminarum, quatenus maſculi extant; ſed, illis deficientibus, ceſſat ratio, & mens ipſa teſtatoris, cùm deficiat ratio conſeruandæ agnationis. Verùm, hoc non obſtante, fuit deciſum in Senatu, agnatam fœminam, iſto caſu, eſſe præferendam, quia teſtator voluit agnatos præferre cognatis; Et, maſculis deficientibus, iſta qualitas cadit in fœmina agnata, & ſic poſſunt militare hoc caſu ea quæ Doctores dicunt fauore fœminæ agnatæ: quibus addo tradita per Molinam de primogen. lib. 1. ca. 6. num. 38. vbi dicit ſpectandum eſſe in ſimili caſu vtrum diſpoſitio finiatur in ipſo deſcendente ex virili ſexu, & tunc fœmina admittatur, an verò ad alios deſcendentes tranſire debeat, & tunc ſicut deſcendentes ex ipſa fœmina excluduntur, ita & ipſa fœmina excludi debet. & ita communi voto fuit reſolutum in vna de Trucchis de Ceſtallo 1597. 5. Iulij.

AD DECISIONEM Trigeſimamnonam.

A *D nu. 2. in fine.* An ſtante forma Decreti, ſub tit. *Delle ferie.* Quo cauetur, vt liceat partibus, iſtis diebus feriatis, examinare, currat tempus 25. dierum, vel menſis, quod ſub alio titul. *delli articoli probatorii.* datur ad publicandum, & examinandum? Et attentis dictis per D. meum hic, videtur clarũ, quòd curat tempus; quia ſi faciendum eſt examen, neceſſariò ſequitur tempus datum ad publicandum currere; Et id videtur ſuaderi apertiùs, per verba illius ſecundi Decreti, quo diſponitur tempus datum ad publicandum non currere, ſolùm diebus feriatis in honorem Dei; Ergo in alijs currit tempus. In contrarium, re coram Senatu propoſita, dicebatur, quòd ſi non poſſunt cogi teſtes illis diebus ad deponendum, per conſequentiam non poterit currere tempus publicandi, & hoc innuere D. Solam in Decr. de fer. glo. 3. nu. 3. Cauagnol. ad Decr. Montisfer. lib. 2. §. 11. num. 9. & faciunt quæ ſcribit Alex. con ſil. 42. num. 4. lib. 3. dicens non currere iſtis diebus tempus inſtantiæ à ſtatuto præfixum. Verùm fuit crebriori calculo reſolutum, quòd in iſtis ferijs currat tempus examinandi; & quòd, attento Decreto, poſſint cogi teſtes, etiam iſtis diebus, ad deponendum; niſi eſſent rurales. 1601. 26. Octobris.

AD

AD DECISIONEM *Quadrageſimam.*

EAndem opinionem, de qua in iſta deciſione ſequutus fuit Senatus, dum ageretur de vxore petente dotes in bonis confiſcatis mariti banniti à Ciuitate Taurini, vbi erat vxor, quæ in bonis ibidem exiſtentibus dotes conſequi ſatagebat, fiſco opponente, quòd excuteret bona in Ciuitate Venetiarum exiſtentia; Nam cenſuit non teneri mulierē illa excutere, ex his quæ tradit Carpan. ad conſtit. Mediolan. conſtit. Omnium. num. 541. Anchar. iun. quæſt. 25. num. 5. lib. 2. referente D. meo Senatore Crau. nunc Primario Præſide. 14. Augusti 1590. in cauſa D. Corneliæ Richettæ.

AD DECISIONEM XLI.

VIde ad materiam huius deciſio. quæ ſcribit Viui. deciſio. 217. lib. 2.

AD DECISIONEM XLII.

NOta pro cōfirmatione huius deciſionis, quòd in facti contingentia in quadam cauſa Vercellenſi, fuit etiam dictum, poſſe cogi teſtes, qui dicebant minatos ſe fuiſſe ab aliquibus, vt deſererent culturam agrorum, ad quam fuerant præpoſiti, ad deponendum per viā torturæ, quinam eſſent illi, qui ipſos fuerint minati. 1603. 16. Decembris.

AD DECISIONEM XLIII.

AD *numerum primum in fine.* Hanc concluſionem, quòd alimenta vxori debeantur durante anno luctus, iuxta communem omnium ſententiam, limita, niſi vxor habeat aliunde ex quo poſſit alimenta percipere: veluti ſi habeat bona paraphernalia, ex quibus fructus percipiat; vt latè per D. Surd. in ſuo nouiter edito tractatu, de aliment. tract. 1. quæſt. 44. num. 11. & 48. Mulier autem alenda eſt, etiam quòd fructus dotis nō ſufficiant ad alimenta, vt poſt Bart. Angel. Alex. & alios ſcribit Surd. dicto loco, num. 32. & etiam quòd ſit indotata, vt num. 44. Etiam poſt annum luctus, ſi dos non fuerit reſtituta. Surd. quęſt. 45. vbi latè. Et ad ea quæ de vſura dicuntur infra. vide Anchar. conſ. 150. numero 5. Rub. conſ. 45. per totum. Nauarr. in tractа. de vſur. num. 68.

Pro corollario huius noſtrę deciſionis, quā viuente patre compoſuimus. Quæro, quid ſi maritus promiſerit dotem, cum augumento reſtituere, anno luctus minimè expectato, an teneantur ſoluere intereſſe illius hæredes, qui ſunt in mora regulari, ex l. magnam C. de contrah. & commit. ſtipul.? Et Senatus in cauſa fratrum de Berta, cōtra D. Caſtaneum, referente D. Sola cenſuit, durante anno à morte vxoris, nullum deberi intereſſe; poſt annum verò, ob moram irregularem inductam ex l. vnica, §. exactio. C. de rei vxor. act. deberi; Et illud taxauit ad quinque pro centenario; Motus primò, quia hæredes viri non erant in mora, cùm dies incerta non conſtituat debitorem in mora. dicta l. magnam, verſ. certo tempore: quem tex. ad hoc ibi notant Cyn. & Bal. Bar. in l. ita ſtipulatus, num. 41. & 43. de verborum oblig. Alex. in l. quoties in diem. num. 2. & ibi Iaſ. num. 2. eod. tit. Port. latè concluſ. 23. limitat. 14. Rot. Ian. deciſ. 61. num. 19. Secundò, quia lucrum dotalis pecuniæ, illo tempore durante, ſpectat ad hæredes mariti, ex doctr. Bart. in l. Titium, §. altero, ff. de adm. tut. Bald. in l. 1. quæſt. 10. C. pro ſoc. & in l. vnica, §. cum autem, C. de rei vxor. act. Alex. in l. ſi nō ſortem, in fine princ. de cond. indeb. Et ita, in eadem cauſa, poſt annum, Senatus tranſiuit cum opinione

noſtra.

Digitized by Google

noſtra hic, vt intereſſe debeatur, ſtante mora. Et ad materiam huius deciſ. vide Vincent. de Franch. deciſ. 489. part. 3. vbi allegat iſtam deciſionem.

AD DECISIONEM XLIIII. in fine.

ADde quòd contrarium tenet Surd. de alimen. quæſt. 45. num. 27. Cuius tamen ſententiã quatenus poſt annum luctus vult illam procedere (pace ſua dixerim) non credo veriſſimam, vt ipſe dixit; quia hæredes viri ſunt ſoluti poſt annũ obligatione, & ſatis eſt quod mulier fruatur prouiſione legis, videlicet quod habeat quartam bonorũ mortuo viro, aliàs nunquam eſſent liberati.

AD DECISIONEM XLV.

ADde, quòd cum eadem opinione contra afflic. dicit etiam iudicatum Ioannes Angel. Piſanell. in nou. addit. ad Afflict. d. deciſ. 291. vbi refert in fortioribus terminis iudicatum, quòd debeatur vſura, ſeu intereſſe cenſuum præteritorum, quando debitor fuit in mora, licet cenſus ipſe detur pro intereſſe.

AD DECISIONEM XLVII.

AD *num. 12.* De veritate huius rei, videndus Guid. PP. quæſt. 65. nu. 2. Et de teſte religioſo, idem quę. 615. Eſt tamen verum, quòd antiquitus non cogebantur ſacerdotes iurare. Gell. lib. 10. cap. 15. in fine. Ideo magna eſt quæſtio illa; An clericus coram laico iudice litigans teneatur iurare iuxta formã Decreti Ducalis, de qua ſcripſi in 2. p. deciſ. Et eſt in manu ſcriptis dec. 666.

Ad num. 17. in fine. Adde; quòd huius antiquæ obſeruantiæ meminit Horatius illis verſibus.

Præſenti tibi maturos largimur honores;
Iurandaſque tuum per nomen ponimus aras.

De Auguſto annuens, quem in numerum Deorum poſitum credebant; Et hunc morem à Græcis petitum fuiſſe, vt iurandi cauſa ad aras accederetur, oſtendit Cic. in Orat. pro L. Cornelio Balbo.

AD DECISIONEM XLIX. in fine.

AN requiratur de neceſſitate, vt Iudici fiat intimatio litterarum appellationis; an verò ſufficiat, quòd præſententur litteræ parti; vide eundẽ Hartman. dicto tit. c. 6. 7. & 8. Et in hac quæſtione, ego cenſerem, quòd vel cauſa eſt dietim inſtructa, ita quòd iudex ſine facto partis poteſt ad vlteriora procedere, tunc debet fieri intimatio Iudici, propter inhibitionem, de qua in litteris; vel non eſt cauſa inſtructa, & requiritur inſtantia partis, vt Iudex aliquem actum faciat; & tunc non requiritur quod fiat præſentatio Iudici, ſed ſufficit, quòd ſit facta parti; Et idem dicendum eſt in commiſſarijs.

AD DECISIONEM LI.

AD *num. 2. verſiculo per dictum Baldi.* Adde, ꝙ Bal. ſequitur Petr. Duen. in tit. regularum. in verſic. fideiuſſor. reg. 335. limit. 2.

Ad num. 3. verſ. ſecundo, mouet in fin. Adde, quòd iſta opinio poteſt & illa ratione coadiuuari, quia ſpecialis hypotheca non impedit alienationem. Alex. & alij in l. qui abſenti. §. 1. ff. de acquiren. poſſeſſ. Neguſant. in 2. par. princip. nume. 5.

Ad num. 4. Adde, quòd eandem opinionẽ tenuit Aegid. Magiſtri inter Areſta Curiæ tit. de ſubhaſtationibus, cap. vigeſimoprimo.

Ad num. 6. in fine. Adde, quòd in eandem ſententiam iterum tranſiuit Senatus, referente D. Senatore Brocardo, in cauſa Botini, contra Vineam. 1589. me tunc pro Botino patrocinante. Et in hac materia ponderabantur duo iura in l. 2. C. de pignorib. & in l. qui generaliter. ff. qui pot. in pig. habe. quia in l. 2. creditor habens generalem, & ſpecialem hypothecam non poteſt in præiudicium poſteriorum creditorum vti generali, ſi poteſt conſequi creditum in ſpeciali; Ex dicta verò l. qui generaliter elicitur diſtinctio, quòd, aut hypotheca ſpecialis ſufficit pro credito, & tunc non ſunt inquietandi alij tertij poſſeſſores, quia ſpecialis hypotheca cenſetur habere tacitam conditionem, ſi ex ſpeciali non poſſit ſatisfactum iri creditori. Cremens. ſingul. 54. Aut non ſufficit, & tūc agendum contra tertios; excuſſa tamē prius ſpeciali hypotheca; niſi adſit clauſula, *ita quod ſpecialitas generalitati non deroget*; Et creditor habet vtramq; generalem, & ſpecialem. Verùm illa iura non reſoluunt caſum noſtrum, quia ſi ſpecialis hypotheca ſufficit, & pignus ſit penes tertium; ad huc erit dubium, antequam agatur contra tertium pro ſpeciali, ſit ne neceſſaria excuſſio principalis debitoris. Benè verum eſt, quòd ſpecialis plus tribuit creditori, quàm generalis. Rol. conſ. 62. num. 12. & ſeq. lib. 2. Neguzant. de pignor. 2. par. princip. nu. 10. & idem eſt, pignus realiter tradi creditori, vel quòd ſine traditione ſpecialiter ſit obligatum. gl. in §. nos igitur. in verſiculo tradere Auth. de nō alien. Bald. in l. ab eo. C. de ſeru. pign. da. man.

AD DECISIONEM LIII. num. 5.

RAtio eſt illius deciſionis, quia clauſula illa, circa non expreſſa, nihil operatur, vt poſt Alexan. & alios ſcribit Menoch. de recuper. poſſeſſ. in proœm. num. 17.

AD DECISIONEM LIIII.

ADde pro ſupraſcriptorum continuatione, quòd hæc appellatio, quæ fit ab interlocutoria, videtur odioſa, cùm videatur facta animo differendæ litis, & ideo iure antiquo ab interlocutoria non poterat appellari, niſi inferret grauamen irreparabile. l. 2. ff. de appellat. recip. vbi gloſ. & ſic tamquàm odioſa ſtrictior de illa fieri debet interpretatio. c. odia. de reg. iur. lib. 6.

AD DECISIONEM LVI.

OPinionem Cumani, de qua in præſenti Deciſione, ſequutus fuit Decretorum Sabaudiæ cōpilator, ſub titulo. *della forma, et ordine che ſi ha da tener nelle pegnorationi §. ſara permeſſo.* Vbi pro rata temporis ordinatur eſſe faciēdam fructuum diuiſionem. Vide Franciſc. Marc. q. 57. par. 2.

AD DECISIONEM LX.

AD *num. 1.* Adde pro hac opinione H. Gabriel. conſ. 95. nu. 18. & ſeqq. lib. 2. & iſte eſt vnus ex effectibus vulgaris ſubſtitutionis, quæ habet locum moriente inſtituto ſuperſtite teſtatore; qui non potuit eſſe hæres, morte præuentus; nec potuit adire, quia nulla erat adhuc hæreditas illi delata. & eum hac ſententia tranſire communiter Doctores poſt Rip. tradit Craſſ. in §. ſubſtitutio. quæſt. 10. Bart. conſ. 37. & 38. lib. 1. Surd. conſil. 279. & erit etiam effectus compendioſæ, quæ ſub ſe continet vulgarem, vt per Crau. conſ. 62. nu. 3. poſt

Bald.conſil.408.lib.2.Com.conſi. 199. lib. 2. & 136. in principio Boer. deciſ. 38.num.16.& cenſuit Senatus in cauſa quorumdam de Trucchis, & Galinæ, de Centallo.1597.5.Iulij.

Ad num. 3. in fine. Opinionem Decij in allegato conſ.242.latè ſequitur, & defendit Ioſeph. de Ruſtic. in tracta. An, & quan.liberi in condit.poſi.lib.6. cap. 4. num.3.

AD DECISIONEM LXII.

AD *nu. 3. verſ. quamuis contrarium.* Adde quod Ancharani conſilium reprehendit Menoch.in ſimili facti ſpecie cõſil.3.per totum. volens ſufficere ab vno iſtorum eſſe dotatam, vt ab omnium hæreditate ſit excluſa; & hanc eſſe magis receptam ſententiam teſtatur, poſt Bal. Alex.Roman. & Dec. atque alios quos allegat num.17. verſ. nono ac vltimo. Idem voluit Mandoſ. ad Roman.conſil. 485. vbi alios infinitos cumulat; Ex quibus patet hanc eſſe veram, & magis receptam opinionem, pro limitatione illius generalis regulæ; Et, ſi conſideremus mentem ſtatuentium, Ego non habeo dubium, quin hęc opinio ſit veriſſima.

Ad num. 5. In ſpecie illius ſtatuti Taurinenſis, de quo ibi loquitur; Adde, quòd dotata ab vno nominatorum ſit etiam excluſa ab hæreditate aliorum, hãc opinionem eſſe procul dubio veriorem, & tenendam; pro qua faciunt ſcripta per Menoch.d.conſil.3.præſertim, quia ſtatutum huius Ciuitatis vlteriùs progreditur in illis verbis finalibus. *ſed ſit contenta de Dote ſibi data, et conſtituta per patrem, vel matrem;* Et cùm in cauſa reuiſionis, me referente, fuiſſet iterum propoſita illa cauſa de qua per D. meũ hic, Senatus tranſiuit cum iſta opinione; quòd filia ab vno dotata eſſet ab aliorum ſucceſſione excluſa 1596. 4. Martij. Fuit tamen dictum in caſu de quo agebatur non eſſe locum reuiſioni, quia dos fuerat conſtituta à vitrico; & actor erat filius ex alia matre, quo caſu cùm ceſſet fauor agnationis, non excluderetur filia vel nepos ex ea. Vide Roman.conſil.24.num.15.lib.3. Curt. iun. conſ.10.num.6.Iaſ.conſ.140. lib. 2. Et quamuis Alciatus conſil.53.num.23.& 57.num.1. Rub.conſ.106. nu.3. Crau. conſ.581.tranſeant cum prima opinione, quòd filia non excluditur, quia tale ſtatutum ſit odioſum, & iuris communis correctorium; quam rationem conſiderat D.Ozaſcus conſil.76. num. 12. & quia alternatiua operetur, vt nomina intelligantur concepta diuiſim, & non coniunctim, l.falſa.§.fi.ff.de cond. & demonſtra. tu tamen non recedas ab altera, quæ eſt verior, per ea quæ ſuis locis DD. ſupra citati tenent, ex quibus reſpondetur ad illa duo motiua.

Ad num.6.verſ.3.in fi. Hoc idem ſequitur Soc.iun.conſ.62.num.19. lib. 3. quem in ſimili ſtatuto Tudertino ſequutus eſt Ludouic.deciſ.Peruſ.21.par.1.Et addo Menoch.dicto conſil.3. vbi, in fortiori caſu, voluit excluſam ab hæreditate nominatorum, cęteri etiam excluſam à bonis dotantis, non numerati in capite dotationis, per multas rationes, quas allegat. Nec mouet quod dicit Surd.conſil. 100.num.15. & 16.tale ſtatutum non eſſe factum fauore agnationis; quia licet innupta admittatur, tamen adhuc reſpicit fauorem maſculorum, odio nuptarum, quibus iam per dotem fuit prouiſum. Faciunt pro iſta opinione, quæ doctè, & ſubtiliter, in ſimili caſu, tradit Fulgoſ.conſ.78. vbi, poſt multos, voluit, ſtatutum excludẽs filias extantibus filijs, & aſcendẽtibus, extendi etiam exiſtẽte nepote ex filio, propter identitatem rationis; & quia vnica poterat in hoc ſtatuto conſiderari ratio, agnationis conſeruandæ, Et cũ ſimilis caſus diſcutiendus contigiſſet in quadam ardua cauſa de Gorrinis ſuper

per

per Statuto Coſtani, diſputatum amplisſimè fuit, an dotata à fratre, & patruo ſimul excluderetur à bonis patrui, in qua cauſa noſtram (quam dicere poſſum) ſententiam defendebāt acutiſſimi Iureconſ. D. Præſes Menoc. Boſſius, & Io. Petrus Surdus; volentes excludi maritatam, & dotatam à bonis patrui, qui non dotauerat. In quam ſententiam inclinabat Senatus, cum aliis delegatis tunc adiunctis: licet poſtea cauſa fuerit ante voti prolationem cōcordata.

AD DECISIONEM LXIII.

EAndem opinionem, quòd filia excludatur à bonis patris in caſu conſuetudinis Neapolitanæ, ſequutus eſt idē Vincent. de Franch. deciſ. 307. par. 2. vbi latè contra ſororem concludit, ꝙ excludatur ab hæreditate patris, etiam ad matrem poſt aditam hæreditatem transfuſa. Et vide ad materiam Viu. deciſ. 188. lib. primo. Cæterùm limitatur hæc Deciſio, quando ſtatutum excludit quidem dotatam à bonis paternis, & maternis, ſed nihil dicit de aliis: nam tunc, ſi dotata fuerit filia à patre, & inde moriatur pater, non excludetur iſta filia a ſucceſſione fratris, qui non dotauit, veniente caſu ſucceſſionis; pro ut referente me, cenſuit Senatus in cauſa Damiani, & Scanauini. 1597. menſe Februar. ſuper ſtatuto Priochæ cuius hæc ſunt verba. *Si qua mulier de Priocha olim fuit, vel fuerit maritata a patre, vel a matre, a fratre, vel a fratribus, vel aliquo ipſorum, non poſſit venire ad hæreditatem patris, vel matris, cū fratre, vel fratribus germanis, nec cum fratre, vel fratribus ex parte patris, nec cum eorum hæredibus maſculis deinceps, &c.* Hoc etenim caſu verba ſtatuti videtur clara, vt excluſa tantum ſit à bonis maternis, vel paternis, quando de illorum ſucceſſione agitur principaliter, non ſi mediatè poſt mortem filij.

Sed quæro quid ſi filia renunciauit hæreditati fraternæ in manibus patris, an veniente caſu per mortem fratris erit excluſa à ſucceſſione fraterna? Et regulariter talem renunciationem non officere etiam, quòd iuramento ſit corroborata tenuit Anchar. conſ. 39. motus illa ratione, quòd ſit contra diſpoſitionem l. fi. C. de pact. per quam improbatur pactum de hæreditate viuentis factum; Et hæc opinio videtur vndequaque recepta quando renunciatio eſt facta abſentibus fratribus, qui poſtea non ratificarunt; quod facere poſſunt, etiam ex interuallo, vt per Cæphal. conſ. 608. num. 21. & ſeqq. Verùm ego arbitror renunciationem huiuſmodi factam in manibus patris, pro liberis abſentibus ſtipulantis, eſſe obſeruandam; prout tenuit Socin. ſen. conſ. 288. in fi. licet dubitatiuè loquatur. cuius doctrinam ſequutus eſt Purpurat. in d. l. fin. nu. 180. Cagnol. ibi nu. 95. Vincent. de Franch. deciſ. 307. num. 13. D. Sola ad nou. Conſtit. tit. de alien. bono. min. & mul. gloſ. 2. num. 19. Neque obſtat diſpoſitio d. l. finalis. quia, vt docet Dec. conſ. 31. non loquitur in pacto de non ſuccedendo; & miror quomodo DD. allegent illum tex. quia illa lex non loquitur, niſi quādo tractatur de hæreditate certi hominis, cum illo met cuius ſunt bona, vel etiam inter alios, ſed de ſuccedendo certo modo, non quando renunciatur hæreditati de futuro. Et illa cautela, & opinio Purpur. non habet contradicentem, & præſertim quando de ſcientia fratrum conſtaret, qui talem renunciationem tacendo confirmarunt. vt dicit Dec. dicto conſil. 31. ſub num. 4. in fine. Immò ſolam ſtipulationem patris arbitrarer ſufficere, ex notatis infra dec. 70. num. 15. Et quando agitur de bonis à patre prouenientis, licet cum hæreditate fratris ſint bona confuſa, in facti cōtingentia ferè omnes domini conueniebant;

niebant; quamuis in bonis ab ipſo poſteà fratre quæſitis multi dubitarent. De qua tamen re,& de tota iſta quęſtione ſcripſi latius deciſ..... parte 2.& eſt in manuſcrip.deciſ..... vbi allegaui pulchra conſilia Menochij,& Surdi, in terminis talis renunciationis:& ſi non excluderetur ſoror, magna eſſet aperta via ſororibus ad excludendum fratres, tam à bonis paternis, quàm fraternis mortuo fratre.

AD DECISIONEM LXIV.

AD *nu.* 3. Adde pro hac ſecunda opinione.Ant.de Gamna,qui loquitur in pulchro caſu.deciſ.7. Rotam Romanam in nouiſſimis par.1.deciſio.72.vbi diſtinguuntur plures caſus, & pulchrè conſiderantur ad materiam multæ coniecturæ. Vide deciſ. Bononien. 11. in nouis.

AD DECISIONEM LXV.

VIde ad materiam Riminal. Iun. conſil.283.lib.3.

AD DECISIONEM LXVI.

AD *num.* 1. Addi poſſet pro illa prima opinione aduerſus contractum iuratum altera ratio,quòd iuramẽtum non poteſt ſupplere duos effectus; vnum minoris ætatis, per quod repræſentat contrahentem maiorem, alium in ſolemnitatis non ſeruata forma à ſtatuto,vel decreto expreſſa, prout voluit Bartol.in Auth.Sacramenta puberum, colum.2.verſic.tamen ad vnum. quem poſt Caſtren.& Iaſ.ſequitur Alb.conſil. 734.num.18. lib. 4. Verùm, ad hoc argumentum ſatisfacit Gabriel cõſ. 127. num.33.ſtante clauſula de non contrauenjendo ex quacunque cauſa.

Cæterùm,pro pleniori intelligentia illius materiæ,de qua in hac deciſione diſſeritur, verum ſtatutum laicorum, vel Principis decretum poſſit annullare cõtractum iuratum, ne aliquando decipiaris propter diuerſitates opinionum; In hoc articulo, ſatis controuerſo, eſt animaduertendum, dubitatum aliquãdo fuiſſe,an tale ſtatutum ſubſiſtat; Et receptior videtur opinio negatiua, quod non valeat de iure, per doctrinam Bar. in l.omnes populi.3.q.prima,num. 25. quam ſequitur Alb. conſ. 597. num. 3. lib.3.Socin.iun.conſ.3. num. 25. & 36. lib.2.Et propterea,quamuis multorum fuerit opinio, quòd quando ſtatutum tollit validitatem contractus, & etiam iuramentum;tunc iuramentum in contractu ſolemni præſtitum, non obliget iurantem, vt latè per Seraphin. de priuil.iuram. priuil. 83. num. 79. & ſeqq. Menoch. latiſſimè conſil. 388. Gramm.deciſ.12.Lamberteng.in tracta.de his qui vel à iure,vel à ſtatuto contrah. prohib. gloſſ. 50. §. finis.fol.mihi 472. Borgnin.deciſ.30. par. prima. Anchar. iun.qq.famo.q.20.per totã.lib.1. Tob. Non.conſ.108.num.9.10.& ſeq. Rol.à Vall.conſil.43.lib.1.conſil.7. num. 39. lib.3.& conſ.60.num.73.lib.4. Sola. in Decr.antiqu.cap.112.num.7.& in nou. Conſtitu.de alien.bon.min.gloſ. 1. nu. 3.pro qua opinione ponderatur tex. in c.ſi diligenti.in fi.de for. comp. & ſimpliciter Bar.opinionem dicat magis cõmunem Borgnin.de tuto.nu. 268. poſt Xuar.in tit.De las Arras.nu. 23. & 25. Rota Bonon.deciſ.47. Tamen illa opinio intelligitur,quando ſtatutum procedit vlteriùs, diſponendo quòd contractus iuratus ſit inualidus ob dolum præſumptum;vt dicit H. Gabriel conſ. 13.& tenuit Alba.conſ.70.num.7.198. num.16.lib.1.328.num.21.lib.2. & dicto conſ. 597.lib.3.Sed hoc vltimum dictum limitatur, quando in contractu eſſet renunciatum omni iuris, & legũ auxilio: nam tunc verior eſt opinio tenentium contra ſtatutum, de qua per

Gabr.

Gabr.conſ.127.num.19. & ſeqq. lib. 1. Anchar.d.q.29.num.40. cum qua opinione ſolet paſſim transire Senatus;niſi vltra minorem ætatem appareret de dolo, & de alia coniectura, per quam oſtendatur, minorem, facilitate ſua, du ctum ad donandum, ſine cauſa: quia tunc, non obſtante quouis iuramento, & clauſulis quibuſcunque annullatur minoris contractus:& ita cenſuit Senatus donationem nullam, in cauſa Vercellenſi Gatinariæ, contra Moniardũ. 1593.7.Septembris. Vide Vueſembec. conſ.22.nume.23. Quid autem ſi vltra prohibitionem legis municipalis concurrat prohibitio hominis? dic quòd etiam hoc caſu iuramentum attenditur,& alienatio ſubſiſtit; prout latè cõſuluit Dec.conſ.100.per totum.

AD DECISIONEM LXVIIII.

SPurius legitimatus, per reſcriptũ Principis habentis plenam poteſtatem, cõſequitur omnia iura filiorum legitimè natorum; & ideò veniet ad fideicommiſſi ſucceſſionem in qua vocati ſunt ſubſtituti; vel eorum hæredes; prout cenſuit Senatus, me referente, in cauſa Hyporedienſi.1603.menſ.Decembris. per ea, quæ latè ad materiam congerit Peregrin. de fideicommiſſ. art.23. per totum.Et in ſpurio.num. 46. & nu. 68. In qua cauſa fuit etiam dictum, non eſſe credendum aſſertioni matris,quæ dicebat, illum non eſſe natum ex ſemine illius cuius filius dicebatur, cum antea contrarium dixiſſet; & pater legitimationem procuraſſet.

AD DECISIONEM LXX.

AD *nu. 8 in verſ. pro concordia. in fi.* Adde quod cum eadem opinione trãſiuit Senatus de anno 1591. 24. Septembris, in cauſa Ruatæ de Villanoua,quæ fuit relata per D. Senatorem Fauzonum.

Ad num. 10. *Ampliat.* 6. Adde quòd confirmatur hoc vltimum dictum ex eo, quia pollicitatio facta priuato non obligat,ſecus ſi fiat Deo.l.1.& 2.ff. de pollicit. Nec obſtat dictum Bart. & aliorũ in d.§.Flauius. quia loquuntur in diuerſis terminis, ſcilicet quando Notarius non fuit pro abſenti,pia ex cauſa ſtipulatus.& ita reſpondet Dec.conſ.58. colum.2.poſt Bal.in l.cum à ſocero. C.de iur. dot. Et pro hac opinione videtur tex.in l.ſi ego.§.ſi res.ff. de iur. dot. vbi fauore dotis tenet promiſſio pro abſente facta.

Eodem num. Ampliat. vlt. Nota quod reuocatio,de qua in præſenti deciſ.poteſt fieri,etiam per tacitam, & coniecturatam voluntatem;vt ſi donator, ante ratificationem, alteri vendidiſſet; quia tunc tacitè reuocaſſe donationem cenſetur. ita cenſuit Sen. in prædicta cauſa Ruatæ: licet ibi alia ratione, fuerit dictum ſuſtinendam donationem. Et cũ hac opinione tranſiuit Vinc. de Franch. deciſio. 339. verſicul. vnde ex prædictis.

Limitatur etiam illa opinio, quod poſſit reuocari donatio ante acceptationem, vt procedat viuente donante, quia ius reuocandi non tranſit ad hæredes. vt per Franch.dicta deciſ.339.

Cæterùm,quod in vltima limitatione dicitur de donatione facta filio abſenti; quòd illa non poſſit reuocari, habet locum notario ſtipulante; ſed ſi notarius non eſt ſtipulatus,valet quidem,ſed reuocabiliter,donec ſequatur ratificatio: præſertim quando per ſubſtitutum, in donatione cauſa mortis, facta eſſet ſtipulatio.iux.tex. in l. ei cui. ff.de donat. cau. mor. ita cenſuit Senatus, me referente, in cauſa Nicienſi Ordani contra Veranum.1600. 9. Aug.

AD DECISIONEM LXXII.

IN illa facti ſpetie, ſuper qua facta fuit præſens deciſio, ita fuit iudicatum in cauſa Cigalæ, & Rochesteroni, & eandem conſiderationem habuit nouiſſimè Senatus in cauſa Parochiarum, contra Communitatem Florani referente D. Senatore Apiano. 1598. 20. Februar.

AD DECISIONEM LXXVI.

QVod poſt viginti annos delinquens ſit omninò abſoluendus ab omni inquiſitione, & pœna delicti latè defendit Thobias Non. conſil. 105. nume. 16. & 17.

AD DECISIONEM LXXVII.

DE purgatione moræ vide quæ latè ſcribit Bartolom. Salicet. in ſua repetit. ad l. ſemel mora. ff. ſolut. matrim. Et ad id quod dicimus de fideiuſſore, qui promiſit aliquem repræſentare ſub pœna: Adde quòd regula eſt: quoties cum iuramento promiſſa eſt repræſentatio, non admitti moræ purgationem, præſertim ſi dictum ſit, toties quoties, &c. & hæc eſt magis communis opinio. Quicquid in contrarium ſcripſerint Gram. deciſ. 95. Boſſ. de carc. fideiuſſ. dimit. num. 66. & relati à Dec. conſil. 138. nume. 8. & conſ. 452. nu. 4. Qua de re ſcripſi in ſecunda parte deciſionum, & eſt in manuſcriptis deciſ. 685. Sed an ſtantibus illis verbis toties, quoties, fideiuſſor teneatur præſentare reum, quando poſt fideiuſſionem fuit ſemel in carceribus ad Iudicis mandatum præſentatus vel captus, & poſtea aufugit. vide Afflict. deciſ. 130. Pegueram deciſ. 47. Iacobin. in l. fideiuſſor. §. in fideiuſſorem. qui ſatiſd. cogant.

AD DECISIONEM LXXX.

IN fideicommiſſario, quòd grauatus, qui de iure tenetur facere inuentariū, non ſit in mora, niſi ſequuta interpellatione, tenuit Guid. Pap. q. 351. Cæphal. conſ. 296. Peregrin. de fideicomm. art. 35. nume. 25. & cenſuit Senatus in vna Nicienſi Taoni, & Taoni. referente D. Senatore Brocardo.

Cuius autem expenſis ſit faciendum inuẽtarium, quando interpellatur vſufructuaria, dubitari poteſt; Nam quòd ſit faciendum ſumptibus petentis, aut ſaltem communibus illud ſuadere videtur, quia communis verſatur vtilitas tam proprietarij, quàm vſufructuarij: Immò quòd ſumptibus petentis fieri debeat, videtur velle Borgnin. de vſufruc. numé. 74. Contrarium tamen eſt verius; nam fieri debet ſumptibus hæreditatis. Ita cenſuit Senatus in cauſa fideicommiſſaria. 1602. 16. Martij. Et Borgnin. loquitur in caſu ſpeciali, quādo pro ſuo intereſſe tantum hæres vult vſufructuarium compellere; Si enim coguntur de neceſſitate vſufructuarius, & fideicommiſſarius facere inuētariū. Oza. deciſ. 147. Plot. de in lit. iur. §. 26. num. 3. & 4. non eſt dicendum quòd debeat fieri ſumptibus interpellantis. Cæterùm de materia deciſionis vide Viuium. deciſ. 420. qui ſequitur D. meum hic num. 4. & 5.

AD DECISIONEM LXXXI.

AD *num.* 1. Excellentiſſimus Dominus meus Præſes Morocius in ſuo tractā. de iur. oſteren. num. primo, impugna: ſententiam D. mei hic dum dixit ſententiam illam latam cum clauſu la, alio non apparente, poſſe reuocari illa ratione, quia tranſit in iudicatū, ſicut cæteræ ſententiæ: Sed obſeruantia & ſty-

& ſtylus eſt in contrarium. ideò lata ſententia per Senatum non eſt neceſſaria reuiſio per litteras, quando eſt lata cum illa clauſula:benè verum eſt,quòd quando lapſa ſunt tempora appellandi,vel producendi noua iura,tunc tranſit in iudicatum, & non poſſet amplius per eundem Iudicem retractari; & in iſtis terminis loquitur D. meus nempe quando ſententia non fecit tranſitum; & Alciatus,& Angel.non fuerunt citati pro illa opinione, ſed ſuper eo quòd poſt latam ſententiam,& lapſis temporibus non licet poſtea iterum cauſam agere; ita in criminali ſententia lata cum clauſula,rebus ſic ſtantibus, loquitur Alciat.in loco ſupra citato. in prin. num.4.

AD DECISIONEM LXXXII.

Opinionem illam,quòd Laicus in illis poſſeſſorijs,retinendæ, reintegrandę,aut recuperandę poſſeſſionis, poſſit cognoſcere, tenuerunt Aufrer. ad Capel. Toloſ. Deciſ.470. Caſtan.conſi.45. num.13. Nauarr. in c.cum contingat. de iureiuran.Guid.Pap.conſi.78.nu.3. Afflict.in Conſtitut.Reg.lib.1.Rub.67. de Burgenſaticis queſt. 8. & communē fatetur Valaſc.conſultat.93.nu. 5. poſt Rip.in rubr.de iudi.num.90. Menoch. in 15.remed.recuper.poſſeſſ. num.211. Contrariam tamen partem latè defendit Io. Gutierez. inter ſuas qq. canonicas.cap.34.nu.22. in fi. & multis ſeqq. & opinionem Guid.Pap.nūquam fuiſſe per Rotam Romanam receptam dicit Put.dec.361.lib.1.Rolan.conſi.23. lib. 2. qui tamen non benè reſpondet ad communem opinionem contrariam. Ego hac in re ſtylum, & antiquam Curiæ conſuetudinem attendendam arbitror;vt in iſtis terminis dicit Valaſc. dicta conſultat.93.num.5.& cùm habeamus conſuetudinem Galliæ, de qua teſtatur idem Gutierez. dicta quæſt. 34. num.22. Marc.quæſt.512.Alciat.conſi. 54. & alij Galli ſupra,& in deciſ.relati, atque in dominio Sereniſſimi Ducis noſtri in Sabaudia,& in Statu Mediolani, vt dicit Alcia.& ita ſeruatur in tota Hiſpania,& Curia Neapolitana, vt teſtatur Afflict.dicta quæſt.8. in hacq; Pedemontana patria ſit hactenus obſeruatum,vt laicus requiſitus cognoſcat, nō video,quare ab iſta conſuetudine ſit recedendum,quæ in iure fundatur; cùm Principum munus ſit ſubditos ſuos tueri,etiam eccleſiaſticos;& procurare, vt quietè viuant.cap.Regnum.& cap. principes.23.q.5.vbi pulchra.gl. l.illicitas. §.ne potentiores. de offic. præſid. quæ iura,ad hoc,citant Doctores, & Afflic. deciſ.24.Et quamuis hanc conſuetudinem de iure non valere dicat Gutierez poſt Didac.tamen in contrarium eſt cōmunis opinio. & Gutierez,vti eccleſiaſticus,trahit aquam ad ſuum molendinum,vt dicit Cynus. Et in poſſeſſorio adipiſcendæ,de quo in ſeq.quæſtio.hic diſſeritur.idem tenuit Igneus, in l. neceſſarios.§.non alios.ſecunda par.num. 42.ff.ad Sillan. & exemplum ponit Afflict.in prælud.Conſtitut.q.22. num. 8. ſi prælatus ſpoliaret aliquem vaſallum de feudo ad Principem ſpectante, ratione directi dominij. Et hæc procedunt in poſſeſſorijs,de quibus ſuprà. Sed in poſſeſſorio adipiſcendæ maior eſt difficultas.

Cæterùm,eſt aduertendum,quòd Senatus noſter,tàm in dictis poſſeſſorijs, quàm in ipſo poſſeſſorio adipiſcendæ, ſolet cum omni reuerentia,& circumſpectione procedere, quando agitur cum eccleſiaſticis: idcircò nunquàm concedit litteras citatorias contra clericos, iuxta formam qua vtitur contra laicos, ſed practica eſt, vt citentur generaliter intereſſe prætendentes; per proclama, vel affixionem copiæ ad valuas Eccleſiæ,de cuius poſſeſſione agitur:vel ſi eſt perſona certa eccleſiaſtica, contra quā agitur,ſolet intimari ſupplicatio;vt reſpon-

ſpondeat ſupplicatus ad diem quintã, ſi ſua putauerit intereſſe; quam obſeruantiam etiam ponit Valaſc. dicta conſultatio. 93. num. 6. colum. 2. poſt Maran. de ord. iud. par. 4. diſtinct. 7. colum. fina. poſt Bal. Caſtren. Alex. & alios ibi relatos. & quamuis Io. Gutierez, in allegata quæſt. 34. num. 31. reprobet multis rationibus iſtam practicam, non militabunt tamen illius rationes contra ſtylum antiquum. Immò hanc practicam ſeruat Curia Regni Neapolitani, quamuis dependeat ab Eccleſia Romana, vt apparet in dicta rubr. 67. de Burgenſaticis. lib. 1. & tunc clericus comparens dicitur actor; & non reus, vt per Afflict. ibi num. 4. & in deciſ. 2. num. 9. vbi addentes nouiſſimè; & deciſ. 24. Capic. deciſio. 8. num. 3. Grammat. deciſ. 61. num. 3. nam citatio illa, ſi ſua putauerit intereſſe, non arctat clericũ, nec ius ſuum tollit, quin poſſit fori declinatoriam opponere; de qua citatione plura ſcribit Iaſ. in l. fin. C. de edic. di. Adr. tol. & in ſpecie, an comprætendat, & liget clericum Surd. deciſio. 26. per totam.

Præterea eſt notandum, quòd talis cognitio non ſpectat, niſi Supremo Magiſtratui, vt Senatui: Vt habetur in Nou. Cõſtit. in titul. *dell'auttorità del Senato.* vbi expreſsè dicitur, quòd cognoſcat inter eccleſiaſticas perſonas, præſertim Prælatos, in caſibus de iure permiſſis. An autem hæc cognitio ſpectet priuatiuè, vel cumulatiuè, vide Valaſc. d. conſultat. 93. num. 10. Gutierez. d. cap. 34. nume. 16.

Cæterùm hanc deciſionem quòd Senatus cognoſcat in poſſeſſorio adipiſcẽdæ inter eccleſiaſticos, intelligo procedere quando titulus eſt clarus pro vna partiũ, ſed ſi titulus dubius, & de illo eſſet altiùs tractandum, ac de titulo pleniùs cognoſcendum, tunc crederem cautiùs agi, ſi cauſa Eccleſiaſtico remittatur, inhibendo interim vtrique parti, ne quicquam de facto attentarent; quia tunc tractatur non de ſummaria, ſed de plenaria probatione, quo caſu Iudex laicus non cognoſcit. vt dicit Cardinal. Put. Deciſ. 365. In cauſa Toletana. poſt Dec. ibi relatum.

AD DECISIONEM LXXXIII.

ADde Sarmient. Selectar. interpreta. lib. 1. cap. 5. num. 8. & poſt multos nouiſſimè Peregrin. de fideicommiſſ. Artic. 24. num. 55. vbi allegat iſtam Deciſ. Et Sarmien. loquitur etiam in caſu ſequentis Deciſionis eod. lib. capitul. 6. num. 8. & cap. 8.

AD DECISIONEM LXXXV.

POne, quòd res nondum euicta eſt, effectualiter, petit tamen emptor, vt condemnetur venditor ad remittendum bona ſua, tenẽda iure pignoris, & hypothecę, donec ſit à moleſtia releuatus, cum omnibus damnis expẽſis, & intereſſe, prout cantat ſuum inſtrumentum cum hypotheca factum, an ſit audiendus? Et videretur, quòd non, ex iuribus ſupra pro confirmatione regulæ relatis; quia nõ tenetur, niſi re effectualiter euicta; ſed cõtrarium cenſuit Senatus, quãdo ſub hypotheca promiſſa eſt euictio, & releuatio cũ damnorũ refectione, & hoc etiam ſi ageretur contra tertios, facta excuſſione, prout iudicatum fuit in cauſa Selerij, & Rubini referente D. meo Senatore Crauetta. Solet tamen Senatus dicere, eſſe remittenda bona, tenenda iure pignoris, pro concurrenti quantitate releui, facta de illo liquidatione coràm Relatore, & ita ſæpiùs me referente fuit pronunciatum.

AD

AD DECISIONEM LXXXVI.

AD *num.* 5 *in fi.* Nota, quod hæc poſſent procedere adita à patre hæreditate, ſed hæreditate non adita ſubſiſtit deciſio Bar. pro qua habemus caſũ legis, in l. hæredes mei. §. cum ita. ff. ad Trebell.

AD DECISIONEM LXXXIX.

AD *nu.* 1. *verſ. & ad hoc facit*, Quòd media via in ambiguis ſit ſequenda, alludit illud Poetæ, *medio tutiſſimus ibis*; & quæ dicta ſunt ſupra in præfatione num. 24. verſ. iuſtus, & ideò dicit Caualcan. de tut. colum. fin. num. 536. quòd mortuo pupillo, abſque propinquis ab inteſtato venientibus, ob conflictum opinionum diuideret hæreditatem inter Fiſcum, & tutorem; ſubdens, quòd quilibet bonus iudex, cum bona conſcientia ita facere deberet, atque ita fieri debere in qualibet dubia cauſa. poſt Anchar. Boer. Capic. Rotam Genuenſem, & alios ab eo relatos.

AD DECISIONEM XC.

AD *num* 7. *circa finem, verſic. idque ſeruiet.* Adde, quod in cauſa quadam Alpignani, per me relata, nõdum tamen hactenus, dum hæc ſcriberem, reſoluta, propter feſta Natalitia, Senatus inclinabat quòd Vaſallus poſſet procedere quo ad bona quæ ſunt in ſuo territorio; quæ ſequuta generali confiſcatione, Principi, in cuius immediato territorio erat ſequutum delictũ, non applicantur; ſed ſequuta gratia poſſe recuperari per gratiatum, quando intra annum ſe conſtituit, vt alibi dicemus. & ita fuit poſtea iudicatum me referente.

AD DECISIONEM XCI.

AD *nume.* 1. *verſ. nam re uera.* Non poſſe habentem ſupremum ius, niſi id quod licitè fieri poteſt, pulchrè admodum nobis demonſtrat Cic. Philip. 13. illis verbis. *Licere id dicimus quod legibus, quod more maiorum, inſtitutiſque conceditur. Neque enim, quod quiſque poteſt id ei licet, nec ſi non obſtatur, propterea etiam permittitur.* quod & ſcitè admodum, & doctè animaduertit Pinell. in rubr. de reſcind. vendi. num. 24. & ſeqq. par. 1. Et hoc caſu tribuitur Principi Diuinæ potentiæ effectus; quia & in Deo Opt. Max. duplex poteſtas conſideratur, vna ordinaria; altera abſoluta; de qua re diſſerit Scaliger. in lib. de ſubtilitate aduerſus Cardan. exercitat. 365. cap. 8. optimè contendens, vnicam eſſe in Deo poteſtatem, cùm in eo nullæ ſint paſſiones; & affectus; ex quibus illa poteſtatis plenitudo diuerſa apud huius ſeculi Principes oritur; De quo poteſtatis iure nos alibi dicturi ſumus.

AD DECISIONEM XCV.

AD *nu.* 3. Adde quòd tutior eſt via, vt contra iſtos exequutores proteſtetur, quam vt illis de facto reſiſtatur, niſi manifeſtè, vltra nullitatem, appareret de exceſſu, & de violentia in actu exequutionis; nam tunc liceret, etiam manu armata, & conuocatis amicis, reſiſtere. per tex. in l. prohibitũ. C. de iur. fiſc. lib. 10. glo. in l. omnes: in verbo liberum. C. de decur. lib. 10. l. deuotum. vbi Bar. C. de metatis. libr. 12. Paris de Put. de ſindica. in verbo, reſiſtere. & in verbo, excedunt. Item quando contra legis præcepta fit exequutio. l. contra. C. de exequu. & exact. lib. 12. Dyn. in cap. quod quis. de reg. iur. li. 6.

Alex.conſ.143.num.2.Maran. diſputa. 34.vbi latè. Sed quando in loco,vbi fit exequutio,poteſt haberi copia iudicis, ſemper tutius eſt ad iudicem recurrere,vt declaret acta nulla, & ita cenſuit iterum Senatus. 1597. 15. Iulij. condemnando in 50.libris quendam qui ſe cerat deſiſtere exequutores ab exequutione facta ſuper bobus, contra Decretorum,&iuris formam,recedẽdo, prout & in iſta Deciſione factum fuit, à rigoroſa Decretorum ſanctione; ne, per abſolutionem, audaciores fierent homines in iſtis oppoſitionibus; cùm ſoleant multi, præſertim potentiores, ex qualibet leui causa, impedire exequutionem,contra iuſtitiam;Et illi deberent ſeuerius plecti; & contra illos ſemper ſolet Senatus noſter rigoroſè procedere; præſertim quando Senator ad exequutionem procedit; prout factum fuit contra D. Gaſparem à Ponte ex DD.Scarnafiſij; qui fuit condemnatus erga Fiſcum in aureis bis mille, & priuatus exercitio iuriſdictionis toto tempore vitæ in feudo ſuo; licet ad hæc omnia fuerit poſtea ex Principis benignitate, & clementia reſtitutus.

AD DECISIONEM XCVI.

AD materiam huius Deciſionis vide Menoc.de præſump. li.4.præſump. 76.Peregrin.de fideicommiſſ.art.28.& ſeq. vbi allegat iſtam Deciſionem dicẽs opinionem affirmatiuam, quòd filij in conditione poſiti ſint vocati,eſſe in Dominio Veneto receptam. & Barzium deciſ.Bonon.8.Camil.Borel.conſil.33. num.31.& ſeqq.

*Ad num.*4. Addi hic poteſt alia ratio ſatis concludens: Nam regula eſt,quòd par eſt virtus taciti,& expreſſi.l.item,quia. ff. de pact. ſed tacitè ineſt in inſtitutione patris dicentis,quòd filio ſubſtituit extraneum; vt intelligatur ſi filius ſine liberis deceſſerit.l.cum auus.ff.de cõd. & demonſtr.l.cum acutiſſimi. C. de fideicommiſſ. & tamen nulli dubium, quòd filius inſtitutus,hoc caſu,etiamſi filios habeat, de patris hæreditate diſponere poſſit.

*Ad num.*11. Hanc partem communem dicit, & latè defendit P.Rebuff. omninò videndus conſ.178.per totum. & vide, prout & ad totam materiam, pulchrũ conſil.Crauet.992.lib.6. vbi plures coniecturas enumerat.

AD DECISIONEM XCIX.

AD *nume. 11. in fi.* Adde quæ ad hoc propoſitum allegat D.Senator Sola in Decre.antiq.car.59. colum. 2.num. 14.& 15.

*Ad num.*13.Dicebatur,in cauſa prædicta, non fuiſſe expreſſam naturam, & qualitatem feudi tempore imperrationis aſſenſus, & ideò non valere conſenſum præſtitum.vt per Oſaſ.deciſ.167. poſt Loffred. Gozad. & alios quos allegat; quamuis illi contradicat D. Sola, in ſpecie caſus noſtri,ad Decr.ant. Sabau. tit.de feudis.ſuper Decreto Yolant. gl. 2.ſecundæ par.num. 2. cuius opinionẽ credo veriorem; iure communi feudorum circumſcripto.

AD DECISIONEM C.

AD *num.*4. Adde,quòd illa opinio, quòd coitus inter aſcendentes, & deſcendentes ſit pœna mortis plectendus,eſt in Senatu practicata; & propterea cenſuit furca ſuſpendendũ quẽdam Beneñſem, qui filiam annorum nouem pluries cognouerat. 1591. 17. Februarij, referente D. Senatore Humolio, confirmando ſententiam ordinarij Claraſci. In tranſuerſalibus verò vera eſt opinio, quòd leuius puniatur: vt in ea,quę paſſa eſt ſe cognoſci à duobus

Digitized by Google

bus fratribus ſcribit Marſil.ſingul.254. Ancha.conſ.391.Boſſ.de coit. dam. nu. 73.& 74.nulla enim contrahitur affinitas per illicitum coitum.cap. 1.& 2. de eo,qui cogn.conſang.vxor.ſuæ.Ego nũquam vidi Senatum relinquere iſtos impunitos,quin pœna corporali plecterentur,ſi cum inceſtu ſit adulteriũ, & ideò in cauſa Collegij,per me relata,fuit cõdemnata quędam mulier maritata,quę duobus fratribus ſui copiam fecerat, ad fuſtigationem,& bannum per triennium.1604.13.Martij. Et deportatum fuiſſe illum, qui rem habuit cum duabus ſororibus, dicit Franch. in allegata hic deciſ.378.par.2.& vide eundem deciſ. 240. ſequitur Baiard.ad Clarum in §. inceſtus. & Romæ extat Conſtitutio Sixti Quinti, per quam vltimo ſupplitio damnatur, qui cum duabus ſororibus, vel duobus fratribus reſpectiuè rẽ habuerunt. & eſt illa conſtitutio inter Bullas Sixti.cap. 54. de anno 1587. 9. Apr.vide ad materiam Menoch.de arb. centur.6.caſu 502.

AD DECISIONEM CI.

AD *num.10.in 3.declaratione.* Ad materiam huius declarationis aduerte, quoniam aliqua ſtatuta loquuntur de dotata, aliqua verò de maritata, quòd quotieſcunque ſtatutum loquitur de filia dotata,eſt intelligendum, vt habeat locum in dote quocumque modo conſtituta, licet mulier non ſit maritata; Nam quamuis dos non poſſit eſſe ſine matrimonio, tamen inſpicitur matrimonium futurum, cuius cauſa dos cõſtitui ſolet; Sed quotieſcunque ſtatutũ loquitur tantum de maritata, tunc eſt intelligendum de effectualiter matrimonio copulata, dote illi priùs conſtituta; licet enim matrimonium poſſit eſſe ſine dote,vt dicunt Doctores, tamẽ regulariter, & frequentiùs fiunt matrimonia dote conſtituta: Et ideò iura dicunt aliquando non eſſe matrimonium ſine dote; quia inſpici ſolet apud Iuriſconſultos, quòd frequentiùs euenit. l. nam ad ea.ff. de legib.;& idcircò ſi filia eſſet maritata,ſed non dotata, ego crederem non habere locum ſtatutũ quod de dotata loquitur, niſi dote illi priùs conſtituta; Et nota quòd plus eſt dicere maritatam,quàm dotatam,quia verbum,maritata, includit ſecum dotationem,non econuerſo; Vnde ſi caſus eueniret, prout ſæpiùs contingit, quòd filia ab amaſio ſeducta, ſecum matrimonium cõtraxiſſet, nulla illi à fratribus, vel conſanguineis conſtituta dote, illa excluderetur per ſtatutum de maritata loquens: non autem per illud, quòd de ſola dotata verba faceret. Vide ad mat. Ludou.deciſ.Peruſ.21.

AD DECISIONEM CII.

AD materiam huius deciſionis,quęro, an ſequuta euictione alicuius rei,pro vna parte, poſſit contra venditorem agi de euictione pro tota re,ac ſi tota res fuiſſet euicta? Et cùm iſte caſus fuiſſet propoſitus in Senatu, referente D.Senatore Fauzono,ſuper cauſa cuiuſdam,qui permutauerat domum; &, parte domus euicta,petebat ſibi reſtitui alteram domum, quam cum illa cõtrouerſa permutauerat,iuxta l.1.ad finem, C.de rerum permut.glo. in l.1.§.vnde ſi ea. ff.eod.tit. dicebant aliqui ex Dominis nõ poſſe agi de euictione in totum, ſed pro parte tantùm ad intereſſe, quia res euicta non dicitur, niſi tota euincatur;ad notata in l.1.ff.de euictio.& euicta pro parte ad intereſſe agitur, d.l.1. & l.fin.C.de commun.rer.alienat.Contrarium tamen fuit deciſum, illa ratione; quia quando veriſimile eſt,quẽ non fuiſſe acquiſiturum partem,nihil intereſt, vtrum pars rei, an tota res euincatur,ſed in totum competit de euictione

ctio. l. tutor. §. 1. ff. de minor. l. quòd ſi vno, vbi glo. de in diem addict. Roman. conſ. 396. gloſ. in l. ſi fundus. ff. de contrah. empt. Aliàs contra inuitum daretur communio. Tiraquel. de retr. ligna. §. 23. gl. 1. nu. 17. Nec obſtant iura contraria, quia illa non negant, quin tota res poſſet reſtitui, ſi hoc eligatur; & vna lex per aliam ſuppletur, & declaratur.

AD DECISIONEM CIII.

AD num. 6. verſic. verum quicquid ſit. Adde, quòd hãc etiam opinionem magis communem teſtatur, & pluribus defendit Sfort. Oddo. in ſuo tract. de reſtit. in integr. par. 2. q. 86. art. 3.

AD DECISIONEM CIIII.

AD materiam huius deciſ. aduerte, quod cùm fuiſſet quæſtio iſta corã Sereniſſimo Duce propoſita, contendentib. aliquibus ex Dominis Conſiliarijs, confiſcationem bonorum habere locum, etiam extantibus pluribus filijs, videns Sereniſſimus Dux dubietatẽ articuli, ſtatuit illam eſſe generali edicto finiendam, & promulgata fuit per eum lex anno 1590. 12. Auguſti, cuius verba infra ſequuntur; per quam hodie in ditione Sereniſſimi Ducis noſtri hæc diſputatio ceſſabit, ſed ſeruabitur edictum. Et in crimine læſæ maieſtatis diuinę nihil reſeruari filijs ſcribit Rolan. conſ. 8. lib. 3. num. 35.

CARLO EMANVEL PER *gratia di Dio Duca di Sauoia, Prencipe di Piemonte, etc.*

ESSENDO *noi informati, che ne i Tribunali di queſto noſtro Stato di quà da' Monti, ſono nate, & tuttauia naſcono molte liti, circa la portione, qual deue reſtare alli figliuoli, de i beni confiſcati alli padri, & aui ſuoi per cauſa di contumacia, ò delitto; ſopra che ſi ſono oſſeruati diuerſi ſtili contrarij gli vni à gli altri; la onde volendo noi prouederui à beneficio publico, à fine, che ad eſſi reſtino le leggi chiare, & vniformi, ci è parſo per il preſente noſtro decreto, qual vogliamo c'habbi forza di legge perpetua, con participatione del noſtro Conſeglio di Stato, ordinare, & dichiarare, ſi come ordiniamo, et dichiariamo, che procedendoſi in cõtumacia del delinquẽte alla prononcia del delitto per confeſſato, bando, & confiſcationi de beni, ne i caſi da i Decreti, e Conſtitutioni noſtre permeſſi; che all'hora ſpetti alli figliuoli, etiandio in vita de padri la legitima, ad eſſi per ragion di natura deuuta, cioè il terzo, ò la metà, ſecondo il numero de' figliuoli, & il reſtante ſia applicato al fiſco. Ma quando la legitima foſſe tanto picciola, e tenera, che non poteſſe commodamente baſtare a gli alimenti, ò dotatione de figliuoli, ò figliuole, in tal caſo s'aſſegnarãno alli figliuoli tutti i beni, ouero tanta portione d'eſſi, che baſti per gli alimenti, ò dotatione. Il ſimile s'oſſeruarà quando al reo, oltra la pena corporale, per decreto, ò editto viene impoſta la confiſcatione de beni, per li delitti di falſità di publici inſtromenti, di teſtimoni, teſtamentarij, ò leſa Maeſtà, nel ſecondo capo ſolamente, che quanto al primo ſi ſtarà alla diſpoſitione delle leggi, ma nelli altri caſi s'oſſeruarà l'Authen. bona damnatorum.*

rum. C. de bon. proſcrip. etiandio che la pena della confiſcatione de beni foſſe per leggi, ò editti eſpreſſamente, & principalmente impoſta; ſaluo però nelli caſi di leſa Maeſtà come ſopra; Et il tutto s'intende non hauer luogo ne' beni feudali; & de fideicommiſſi, ò altri à chi poteſſero ſpettar, per particolar ragione; à quali per il preſente Decreto, non s'intende pregiudicato; come ne anco ſaranno compreſi i luoghi delli ſtati noſtri, oue ſopra di ciò vi ſarà particolare priuilegio conceſſo, al qual non intendiamo derogare. Dat. in Torino li 12. di Agoſto 1590.

AD DECISIONEM CVI.

A *D fin. deciſ.* Adde, quòd Dominus Ozaſcus conſuluit in cauſa prædicta Vernonæ, & Dodoli; vide ad materiam Decian. cõſ. 71. nu. 2. & ſeqq. lib. 2. Nouou. deciſ. Peruſ. 76.

AD DECISIONEM CVII.

A *D nu. 5. in fi.* An autem procurator teneatur inuitus comparere in cauſa appellationis introductæ ab interlocutoria, lata in prima inſtantia, quando fuit in prima inſtantia conſtitutus vſque ad diffinitiuam ſententiam? Et videtur quòd ſit functus officio, & quòd non teneatur, quia mandatum ſe reſtringit ad primam inſtantiam, & coram illo Iudice, coram quo prius cauſa tractabatur. ad tradita per Mohedan. deciſ. 126. nu. 2. Put. deciſ. 345. num. 3. lib. 1. Contrarium tamen voluit Boer. deciſ. 285. nu. 10. Senatus, me referente, cenſuit procuratorem non teneri cõparere, & ſententiam, quæ contra conſtituentem lata fuerat, nullam declarauit, propter defectum mandati, quod erat intelligendum durare tantùm in prima inſtantia coram illo Iudice, non coram alio; quia diuerſa eſt cauſa appellationis, ab illa primæ inſtantiæ. Docto. in l. inuitus, vbi Caſtr. nu. 5. & Salic. num. 15. C. de procur. 1593. 11. Septembris. de qua cauſa dicam in ſecũda par. & eſt in manuſcrip. deciſ. 674.

AD DECISIONEM CVIII.

HVius deciſ. mentionem facit Brunor. à Sole, in ſuo Compendio reſolutionum iuris, in verbo remiſſio, & illam intellige procedere, nempe ꝙ requiratur denunciatio, niſi ſimus in notorijs; nam tunc non eſt neceſſaria denũciatio. Ita cenſuit Senatus in cauſa Miloni, & Bochi 1590. 2. Martij, referente D. Sen. Cerua.

AD DECISIONEM CIX.

A *D num. 7. in fine.* Adde, confeſſionem in teſtamento factam poſſe reuocari per ipſum teſtatorem quandocunque, nullo præſertim ſtante iuramento in ipſo teſtamento: Cenſuit Senatus, in quadam cauſa Taurinẽſi Gonrij, contra Gaſtaldos. 1595. 10. Maij, referẽte acutiſſimo, & doctiſſimo D. meo Senatore Goueano, qui more ſuo pro hac opinione multa ſubtiliter, ex illo ſui ingenij facundiſſimo, & ampliſſimo theſauro proferebat.

AD DECISIONEM CXII.

A *D num. 2. in fi.* An confeſſio de dote recepta præiudicet marito, vel creditoribus mariti, ne in cõtrarium poſſit opponi, de non numerata pecunia, magna eſt quæſtio, vt licet videre ex Doctoribus, pro vna, & altera opinione in

hac

hac deciſ. allegatis. Quibus addo Cra. de antiq. temp. par. 1. ſect. 3. nume. 71. Capic. deciſ. 183. in fin. Ludou. deciſ. Peruſ. 66. num. 11. par. 2. Gomez. Leonium in ſua informat. centuria. cap. 6. nu. 1. Crau. conſ. 520. lib. 3. Et faciunt ad mater. ſcripta per Dominum meum deciſ. 32. nu. 7. verſic. alteram. Menoch. præſump. 12. num. 90. lib. 3. Et quando lapſum eſt decennium, non ſolùm admittetur maritus ad opponendum de dote non numerata, ſed præſumptio oritur contra eum, quòd dos ſit ſoluta præcedente ſimplici dotis promiſſione. ita cēſuit Senatus, in vna Niciēſi. 1590. men. Septembris; qui ſolet paſſim tranſire, cum illa communi opinione, quando tractatur de reſta dotis abſente vxore, & de illa ſit inſtrumentum inter maritū, & ſocerum, licet filia interueniret pro renunciatione; præſertim quando renunciatur exceptioni non numeratæ dotis, cum iuramento, & ita cenſuit iterum Senatus, referente Domino Inciſa. 1592. 25. Auguſti: ſibi enim imputare debet maritus, qui facit quittationem ſub ſpe repromiſſionis factæ à ſocero. l. ſi rem. §. omnis. ff. de pignorat. act. In qua etiam cauſa fuit dictum ſpectare augmentum mulieri, non ad ratam dotis ſolutæ, ſed totius ſummæ, pro vt fuerat à marito cōſtitutum. Et dilationē factam à marito de dote ſoluenda, nōn nocere filiæ, quin ipſa ab hæredibus mariti poſſit totam integrā dotem conſequi, & petere, facta ceſſione iurium, aduerſus patrem, vel debitores dotis, ab initio conſtitutæ. cenſuit idem Senatus 1589. menſe Nouēbris, in cauſa Berutæ Aſtenſis, contra Nicolaum Canibus Taurinenſem, referente Domino Senatore Guerillo, de qua re vide Natt. conſil. 258. Afflict. deciſio. 242. & 333. Rolan. conſil. decimo, lib. 1. Neque iſta opinio caret æquitate; quia mulier decepta confeſſione mariti, non petendo dotes, mortuo poſtea viro, plerumque remaneret indotata, cùm durante matrimonio diſtulerit vir dotem petere. Illa autem confeſſio de dote recepta, non nocet creditoribus mariti, ſi vellent probare dotem non fuiſſe numeratam; ex regula quòd dos confeſſata non habet priuilegia veræ dotis; Neque crederem Senatum, caſu adueniente, aliter iudicaturum; de qua tamen re dicam latius in ſecunda par. & nunc eſt in manuſcrip. Deciſio. 51. Et de confeſſione facta tā in ipſo inſtrumento, quàm in vltima voluntate, vide ſcripta per Excellentiſſimum Dominum meum Preſidem Morotium conſi. 60. & Surd. deciſ. 285. vbi dicit Senatum Mantuanum iudicaſſe fauore vxoris.

AD DECISIONEM CXIIII.

A*D num. 1. in fine.* Adde Solam, qui videtur trāſire cum iſta opinione, quòd ad præſcriptionem requirantur 30. vel 40. anni continui, in titu. de iure emphyt. Decreto. licet iure, tertiæ partis, gloſ. prima, ſub nu. 26. verſic. 22. ſi per annos 40. Ruin. conſ. 155. num. 7. lib. 1. Bart. in l. malè agitur, poſt glo. ibi de præſcript. 30. annorum. & in l. cum de in rem verſo, col. penult. verſ. ſi verò tractatur. ff. de vſur. Sed quòd non præſcribantur penſiones debitæ poſt 29. annos tenuit Specul. de loca. §. nunc aliqua, q. 41.

Ad nu. 4. in fine. Adduci poteſt tertia ratio pro iſta opinione, quòd, cùm iſti cenſus, ſeu penſiones ſint de modica ſumma, & annuatim debita, præſumitur facta ſolutio, cùm quis non cenſeatur remittere, quod annuatim ſibi debetur, vt in ſimili dicit Marſi. conſ. 212. col. 2. & Menoch. de præſumpt. lib. 3. cap. 135. poſt Afflict. & Beroum ibi citatos; præſertim cùm de talibus minutis cenſibus, non ſoleāt fieri quittationes per inſtrumenta; Et reuera res non eſt ſine difficultate, & cùm iterum caſus ſimilis me-

inter-

interueniente, poſt obitum colendiſſimi patris, contigiſſet reſoluendus in Senatu, aliqui ex Dominis dubitabant de ſententia Domini mei hic; & contra illam acutiſſimus vir Dominus Præſes Cerua multùm exclamabat, dicēs communem opinionem eſſe in contrarium, poſita regula pro vera, emphyteotā non præſcribere, niſi poſt 30. quoad libertationem, ex traditis hic, & infra deciſio. 179. Nam aliud eſt præſcriptio libertatis, & directi dominij, aliud ſolutionis penſionum; ideò, licet ſit præſcriptum per 30. libertati, quo ad præteritas penſiones, non tamen præſcribetur futuris, Bal. in l. malè agitur, num. 5. C. de præſcript. 30. ann. ſecùs verò eſſet, ſi contra libertatem ſolutionis, eſſet etiam directum dominium præſcriptum; quo caſu procedit etiā præſcriptio ſolutionum, & in iſto caſu videntur loqui DD. qui dicūt eſſe præſcriptum poſt curſum 30. vel 40. annorum huic petitioni. Aliqui verò ex Dominis dicebant cenſibus præteritis per decennium præſcriptionem legitimè opponi, iuxta mentem, & ſententiam Cyni in l. ſi certis annis. quem ibi ſimpliciter ſequitur Ange. in ſua repetit. & Balb. de præſcrip. par. 5. quæſt. 7. circa fin. Immò, per idem tempus, non ſolùm præteritis, ſed futuris penſionibus præſcribi voluit Caſſan. in conſuet. Burgund. tit. *des cenſes*. §. 5. col. 2. verſic. prædium tributarium, num. 3. Ego verò dicebam opinionem Domini mei eſſe ſatis ſuſtentabilem, & dignam quæ in ſupremo iudicio reciperetur, quando agitur de cenſib. modicis; ſibi enim imputare debet directus dominus, q̄ poſt triennium non egit ad caducitatem, vel interpellauit emphyteotam ad ſolutionem, ſuamque negligentiam incuſare debet: niſi eſſemus in caſu quòd dominus directus eſſet pupillus, vel adeò impeditus, quod agere non potuiſſet, quia tunc non curreret præſcriptio; ſi verò ageretur de magna penſione, ad cuius ſolutionem eſſet cum iuramento obligatus emphyteota, ſine alia interpellatione, tunc non ſufficeret illa triennalis præſcriptio, ſed maior requireretur; quia eſt in mala fide, cùm non ſoluit; & in hāc opinionem alij Domini mecum conueniebant.

AD DECISIONEM CXV.

AD *fin. deciſ.* Sententia Domini mei hic, quòd propè murum communem poſſit ſocius ædificare nullo relicto ſpatio, firmatur auctoritate Alexand. conſ. 174. in fi. lib. 2. Iaſ. conſi. 98. num. 8. lib. 1. Alb. conſ. 777. Sed an illa procedat quando murus non eſt deſtinatus ad ædificandum, ſed tantùm poſitus pro diuiſione domus, vel areæ? Et cùm de hoc ageretur in quadam cauſa Vercellenſi Scalę, & Portæ, Domini dubitabant, & aliqui dicebant non poſſe propè illum murum ædificari, ita quòd inde ſtatus illius, quò ad altitudinem, deterior reddatur, & per nouum ædificium officiatur luminibus vicini; licet ad altitudinē primi muri diuiſorij poſſit vicinus ædificare, nullo relicto ſpatio. Alij verò dicebant, quòd licet primus murus non ſit deſtinatus niſi pro diuiſione, tamen non impeditur ſocius, ſi vult conſtruere murum, & nouum quem ædificat altius tollere; cum DD. non diſtinguant, nec differentiam faciant inter vnum murum, & alterum: & ideò cum per me fuiſſet locus viſitatus, hortatus ſum partes, vt cauſam cōcordarēt, propter dubietatem articuli: In puncto tamen ego crederē non poſſe vicinū altiùs ita tollere, vt officiat luminibus vicini, licet poſſit propè parietem illū diuiſorium ad ſui libitū ædificare.

AD DECISIONEM CXVI.

OPinionem quam, vti veriorem, comprobat Dominus meus in hac deciſione, quod coloni partiarij Eccleſiæ

poſſint

poſſint collectari, intelligo procedere duobus concurrentibus; primò quod illi coloni ſint partiarij, ſecundò ꝙ non grauentur in plus quàm cæteri coloni laicorum; immò ſi coloni laicorum non ſoluũt in loco vbi per Communitatem imponitur collecta, neque ipſi debent grauari; quia aliàs eſſet illa impoſitio in fraudem Eccleſiæ, vt dicunt Doctores infra citandi. Et ideò cùm ſuper hac quæſtione iterum contigiſſet diſputari in cauſa Illuſtriſſimi Cardinalis Altaemps Abbatis Caſenouæ, & Communitatis Caſtagnolarũ, relata per Dominum Senatorem Appianum, fuit confirmata iſta deciſio, & dictũ quòd haberet locum quando alij coloni concurrunt 1590. 7. Februarij. Et in alia cauſa Ripaltæ contra colonos Eccleſiæ, cùm fuiſſet probatum colonos dominorum non ſoluere, fuerunt abſoluti coloni Eccleſiæ à petitione Communitatis, non obſtantibus capitulis factis per Sereniſſimum Ducẽ in impoſitione taxus, per quæ concedebatur, vt coloni Eccleſiæ poſſent collectari: & fuerunt abſoluti, etiam quò ad onera bellica, & dictum quòd tenerentur tantùm cõducere res militum cum cæteris colonis 1592. 20. Aprilis, referente D. Guidetto. Cæterùm de veritate illius opinionis, quòd coloni Eccleſiæ partiatij poſſint, etiam deductis impenſis, cum alijs collectari, moderni quidam hodie contendunt, & conati ſunt impugnare ſcripta per Dominum meum, quem & vnus illorum ſatis impudenter in fine conſilij redarguit, quòd in hac Deciſione magis inſeruierit cauſæ, quàm veritati; cuius rei magis redarguendus eſt ipſe, qui præmio allectus cauſam ſuorum clientum defendit, quàm qui Deciſiones conſcribit, & vti Iudex ſuam, iuxta ſuæ conſcientiæ dictamen, ſententiam profert; quorum cõſilia & ſcripta vidi impreſſa poſt tractatum Io. Franciſci Leonæ, inſcriptum Theſaurus fori Eccleſiaſtici, quibus addi poſſunt duo plena conſilia Vberrini Zuccardi, & Ludouici Catti, inter conſilia Riminal. ſen. conſ. 739. & 740. lib. 4. Quorum omniũ ſcriptis abũdè, & facillimè reſpondere poſſem, ſed ſufficiet pro nunc duo demonſtrare, primò opinionem quam defendunt non eſſe communiſſimam, vt quidam illorum aſſerit; ſecundò fundamentũ principale illorum non eſſe verum. Pro eorum igitur cõmuni, vltra allegatos per Dominum meum hic, num. 4. allegant gloſſ. & Doctores in clem. 1. de decim. Ferret. conſ. 102. nu. 13. li. 1. Pariſ. conſ. 69. nu. 6. lib. 1. Socin. conſ. 297. col. 3. in princ. libro 2. Siluan. conſ. 9. & 32. Barbat. conſ. 29. lib. 4. Alb. cõſ. 441. nu. 14. Dec. conſ. 51. num. 14. lib. 3. Ruin. conſ. 157. nu. 9. lib. 5. Ozaſ. deciſ. 83. Rot. in nouiſſimis deciſ. 26. nu. 6. par. 2. Et pro fundamento principali dicunt immunitatem iſtam, vti de iure diuino, eſſe cõceſſam bonis Eccleſiæ, & propterea colonos eſſe immunes: quia, quando immunitas eſt conceſſa rei, tunc coloni ſunt exempti. Ego iſtud fundamentum deſtruo; quia non eſt verum, quod immunitas ſit cõceſſa principaliter rebus; ſed eſt conceſſa rebus ſecundariò, nempe intuitu Eccleſiæ, & perſonę eccleſiaſticæ, & eſt hoc priuilegiũ perſonale, vt conſiderat Rota d. deciſ. 26. quod ſit verum, ſi bona illa Eccleſiæ tranſeant in laicum non exemptum ſoluent onera, vt dicit Siluan. conſ. 9. num. 5. quemadmodum & emphyteota Eccleſiæ, ex magis communi opinione, tenetur ad onera, licet bona ſint de directo dominio Eccleſiæ; vt dicemus infra, in ſecunda parte, & eſt in manuſcrip. deciſ. 570. Nec obſtat, quòd pro patrimonialibus clericus ſoluit: quia illa ſunt Eccleſiæ, & intuitu Eccleſiæ eſt conceſſa immunitas, quò ad bona eccleſiaſtica. Ad Doctores in cõtrarium allegatos dico non ſtare pro iſta opinione: nam gl. & Doct. in clem. 1. de decim. conſtituunt differentiam inter priuilegium reale, & perſonale: & in perſonali colonos excludunt,

ſunt, quale hoc eſſe dicimus: eodem modo reſpondetur ad Ferret. & ad hãc diſtinctionem reſpexit Borgn. de vſufruct.nu. 165. vbi voluit perſonam clerici tantùm eſſe exemptã, & alios non exemptos teneri: & ita idem in conductore bonorum Eccleſię concludit, poſt multos, deci. 44. nu. 97. ſequitur Carro. de loc. par. 4. q. 25. tit. de collect. nu. 20. & 30. Pariſ. loquitur in caſu quando immunitas eſt ſpecialiter conceſſa alicui prædio: tũc enim, quia eſt reale priuilegium, coloni ſunt exempti. Ita etiam apertè loquitur Socin. qui immò tenet expreſsè priuilegium Eccleſię, ſeu alicui Ordini conceſſum, intelligi tantùm de portione illorũ, & colonos partiarios poſſe pro ſua portione fructuũ grauari. Siluan. in conſilijs allegatis, nõ loquitur de hac re, immò in conſ. 9. nu. 7. ſequitur ſimpliciter Feder. de Sen. qui non loquitur tantum in gabellis, vt iſti credunt, ſed in omnibus alijs oneribus. Barbat. qui, per errorem, allegatur in conſilio 49. cum ſit 29. loquitur de ſtatuto facto contra colonos, vt ſoluãt vectigal, pro fructibus dominorum, quos conducunt, & benè conſulit non ſubſiſtere. Ita etiam eſt intelligendus Alba, dum tranſit ſimpliciter cum illo conſ. Barb. Decian. loquitur in priuilegio bonis conceſſo, loquendo de bonis Equitum Hieroſolymitanorum. Eodem modo reſpondetur ad Ruin. & ad Rot. dicta deciſio. 26. Ozaſc. loquitur de colonis laicorum: quos tamen, num. 8. vult etiam teneri, pro eo quod ſupereſt, adductis impenſis. Quibus ſublatis, falſum eſt, quod ille ait, communiſſimam eſſe opinionem pro colonis: immò reperio communiſſimam eſſe alteram ſententiam contra colonos: pro qua, vltra allegatos in deciſione, addo Boer. deciſ. 215. nume. 19. Rolan. conſ. 61. num. 14. & 15. lib. 4. Sum. Silueſtr. in verbo, excõmunicatio. nu. 48. Molignat. qui fuit Epiſcopus, q. 135. Io. Ant. de Nigr. in repet. extrauag. vnicæ. de vita, & honeſt. cler. nu. 306. Pinel. de bon. mater. 2. par. ſub nu. 72. verſ. decimo ex ſcribentibus. Carroc. de loc. d. q. 25. num. 34. 35. & 43. vbi limitat in nimio grauamine. Bened. Capr. reg. 96. nu. 83. Ludou. de Silueſt. inter conſil. Rim. ſen. conſ. 747. lib. 4. ex quibus conijcimus, quæ ſit cõmunior ſententia. Teneo tamen verum eſſe quod illi Doctores dicunt circa hoſpitationes: quia non eſt de honeſtate, vt in bonis, & domibus Eccleſiaſticis milites hoſpitentur: neque tenebũtur coloni ad collectas, quæ ratione talium hoſpitationũ imponuntur: & ita cenſuit Senatus in prædicta cauſa Ripaltæ, Pręſide tunc viro doctiſſimo D. meo Amedeo à Ponte, & hanc opinionem noſtram, nouiſſimè citato D. meo hic, & reſpondendo contrarijs, firmat, & rationem oſtendit Menoc. cent. 6. caſu 562. nu. 36.

AD DECISIONEM CXVII.

Adde ad materiã huius deciſ. quòd faciliùs permittitur hæc cognitio ſpolij hoc caſu Iudici laico, quàm in cauſis beneficialibus, de quibus diximus ſupra deciſ. 82. quia hic vterque eſt laicus, ibi verò vterque eſt clericus, & de re ſpirituali agitur, vt not. Gutierez. quæſt. canonica 34. num. 26. circa fin. & in cauſa ſpolij matrimonialis idem tenet Valaſc. conſultat. c. 93. num. 5. lib. 1.

AD DECISIONEM CXVIII.

De pęna exponentium iſtos infantes, vide Menoch. caſu 396. in arbitrar. Et Senatus contra matres, quæ vt plurimùm ſolent ſuos infantes exponere, diuerſimodè iudicauit; aliquando condẽnando iſtas mulieres in pœnam banni; quandoque catenę infamis, vel fuſtigationis; & ſolitus eſt ad fuſtigationis pęnam accedere, quando mater expoſuit

AD DECISIONEM CXXII.

AD *num. 4. verſ.* Adde, quòd per nouas conſtitutiones poſt illas tres conformes ſententias, quarũ vna ſit Senatoria, non poterit peti per maiorem reſtitutio in integrum, ita diſponitur in tit. 2. *Del modo, e forma di ſupplic.* ibi, *ne doue ll Senato hauera conformato, ſia eſcluſa la reſtitutione in intiero, quanto a i maggiori.* licet aliàs etiam contra tres conformes ſentẽtias ſoleat admitti ſupplicatio pro petenda reſtitutione, vt per Ant. de Butr. in cap. ex literis, de in integ. reſtit. D. Sola. in dicta conſtitut. gl. 2. nu. 63. & 64. Fran. Marc. q. 52. par. 2. & hanc conſtitutionem inconcuſsè obſeruat Senatus, & nouiſſimè ita cenſuit eſſe repellendam reſtitutionem in integrum à maiore petitam, referente viro doctiſſimo D. Senatore Fauzono. 1603. menſe Decembris, in cauſa Georgiæ, & Minæ.

AD DECISIONEM CXXVII.

AD *num. 12. in fine.* Ex traditis hic poteſt inferri ad quæſtionem, An mulier nupta extra territoriũ ſuæ originis, in quo extat ſtatutũ per quod nupta excluditur à ſucceſſione matris, patris, & fratris, ſit excluſa, ſi tempore aduenientis ſucceſſionis ſit tranſducta, vt per Fanut. in tract. de lucro dot. gl. 9. num. 5. & 6. Et per ea, quæ hic ſcribuntur videtur non eſſe excluſam, cùm mulier retineat domicilium ſuæ originis, quò ad ſui commodum; ideò, ſi ſentiret incommodum, non admittitur; ne matrimonij ſacramentum ſit illi damnoſum. Borgnin. deciſ. 42. num. 46. par. 1. cùm igitur, ex traductione, ſit extra territorium, veniente caſu, poterit vti, ad ſui commodum, illa qualitate forenſis, vt non ſit comprehenſa in excluſione ſtatutaria. Sed contrarium, quòd hoc caſu nupta ſit etiam excluſa à ſucceſſione nominatorum in ſtatuto, tenuit expreſsè Salic. in l. cũctos populos, nũ. 15. verſ. item attẽde. C. de ſum. Trin. Corn. conſ. 201. col. 2. lib. 2. Campeg. de dot. par. vlt. q. 71. in princ. Brun. de ſtat. ar. 6. num. 26. Ruin. conſi. 49. num. 9. lib. 3. Roland. de lucro dot. q. 22. num. 14. & conſ. 79. num. 49. lib. 3. Ceph. conſi. 33. num. 43. & conſ. 526. nu. 33. Ratio eſt, quia tale ſtatutum non impedit mulierem ſeruire marito; ideò nunquam non eſt impeditiuum matrimonij ſeruandum eſt. Alb. cõſ. 23. per totum. Bero. q. 119. nu. 1. poſt Bart. in l. fin. §. item reſcripſerunt, nu. 5. ff. ad municip. & hęc eſt communis opinio; contra quam non audet conſultus concludere, Dec. conſi. 276. col. pen. in fi. & Crau. dicit, contrarium non audere firmare. conſ. 271. num. 3. verſ. pro hoc adduco. Et pro hac parte vidi cõſultum per D. P. Surdum, in cauſa vertente coram Senatu noſtro, ſuper ſtatuto Cherij, pro Dominis de Reuiliaſco, contra Dominã Mariam Bauam, nuptam in Ciuitate Foſſani, & ibi degẽtem, quæ volebat ſuccedere fratri. Ego cogitabam, pro reſolutione huius quæſtionis diſtinctionem, an ſtatutum loquatur in rem, vel in perſonam; vt primo caſu mulier excludatur, quia res ſunt in territorio ſtatuentium: ſecundo autem caſu admittatur; quia tempore caſus aduenientis reperitur nupta extra territorium ſtatuentium. Verùm tutior eſt opinio, quòd vtroque caſu dicatur excluſa; quia mens ſtatuentium eſt ſemper directa ſuper bonis, & ſtatuẽtes volunt fauere maſculis, & agnationi; & meo iudicio, ſiue ſtet vidua in domo mariti, ſiue alibi, ſemper erit excluſa à bonis ſitis in territorio ſtatuentium. Secus verò eſſet in bonis alibi ſitis; quia quò ad illa bona, licet ſtatutum eſſet directum in perſonam, mulier tamẽ alibi nupta non eſt ſuppoſita ſtatuentibus, niſi rediret in patriam. Viduam tamen, quæ nullam neceſſitatem habet cõmo-

Digitized by Google

tandi in domo mariti, non excluſam cenſeri ab illo ſtatuto, ſcripſerũt Ceph. conſ. 171. num. 34. Ioan. Vinc. Honded. conſ. 5. num. 47. Riminal. iun. conſ. 353. num. 18. Vide Burſat. conſ. 1. num. 37. poſt Pinell. qui multos allegat in l. 3. num. 34. C. de bon. mater.

AD DECISIONEM CXXV.

AD num. 9. Adde ꝙ licet fideiuſſor, qui in ſecundo tractatu non interuenit, liberetur nouatione. l. nouatione. C. de fideiuſſor. ſaltem ope exceptionis, vt voluit Fulgoſ. conſ. 130. tamen quando non fuit facta expreſsè nouatio, iuxta terminos l. fin. C. de nouat. non liberatur fideiuſſor à priori obligatione, etiam ope exceptionis, vt poſt Gayl. tenet D. meus hic. & cenſuit Senatus in quadam cauſa de Caporis, contra Stratam. 1593. 20. Decemb. referente D. Fauzono. in qua cauſa fuit etiam confirmatum, ꝙ dicitur infra num. 15. ex Iacob. de S. Georgio, liberari fideiuſſorem, ſi ſecundus contractus fuerit factus ſub noua forma; & cum nouis pactis, niſi ſequuta fuiſſet proteſtatio, de qua per Grat. conſ. 126. num. 8. lib. 1. & dicitur hic nu. 5. Item non liberabitur fideiuſſor, ſi prorogatio à Principe fuiſſet obtenta per litteras iudiciales, quia nihil eſt quod creditori, eo caſu, imputetur, cùm Principi pareat, l. velle non creditur. ff. de reg. iu. immò prodeſt iſta prorogatio fideiuſſori, qui durante tempore prorogato non poterit moleſtari: quicquid in contrarium ſcripſerit Rebuff. de litteris dilator. artic. 1. gloſ. 1. nu. 42. Qua tamen in re prudentes practici ſolent adhibere cautelam, vt in litteris comprehendere faciant etiam fideiuſſorẽ: ita, vt inhibeatur moleſtia tam principali, quàm fideiuſſori: quem ſtylum in Gallia ſeruari dicit Rebuff. dicto loco, num. 43. Aliam cautelam tradit Cuch. in tract. de morator. præſcrip. num. 136. poſt Cyn. & Bald. vt compareat in cauſa debitor principalis, dicens velle defendere ſuum fideiuſſorẽ præſentando prorogationem ſibi factam: quia tunc prodeſt prorogatio fideiuſſori: Quæ tamen non haberent locum, cùm fideiuſſor ſe cõſtituit principalem debitorem: quia tunc non prodeſt illi prorogatio à principali debitore obtenta, niſi & ipſi fuerit data dilatio, ita cenſuit Senatus in cauſa Raimoni, referente D. Senat. Humolio. 1593. mẽſe Maij vide ad materiam Fran. Marc. q. 338. & ſeqq. par. 1. qui tenet, etiam quòd facta ſit proteſtatio, liberari ab obligatione fideiuſſorem, & Camill. Borel. conſ. 113 num. 19. Quid autem dicendum ſit in criminalibus, an per prorogationem factam à Iudice principali de ſe præſentando fideiuſſor liberetur, ſi medio tempore aufugiat inquiſitus, pro quo fideiuſſio fuerat facta de illum præſentando toties, quoties? Et, cùm hæc quæſtio verteretur in Senatu, in quadam cauſa Nicien. Senatus dubitabat ſup iſto puncto, ex traditis per Borgnin. deciſ. 14. par. 5. tit. de delict. & per Gabriel. conſ. 170. lib. 2. per totum, vbi latè diſputant hanc quæſtionem; Sed cùm Iudex prorogaſſet cum proteſtatione citra receſſum à fideiuſſione præſtita, Senatus trãſiuit in opinionem, quòd fideiuſſor non eſſet liberatus. 1602. 9. Nouembris. referente Domino Senatore Filippa; de qua re dicam latius par. 2. & eſt Deciſio in meis manuſcriptis. 816.

AD DECISIONEM CXXVI.

EGo crederem deciſionem hic poſitam procedere in vero ſpurio, non autem in naturali, qui natus eſt ex ſoluto, & ſoluta: nam ſi ille naturalis, non exiſtentibus filijs legitimis, poteſt ab ipſo teſtatore, à quo eſſet progenitus hæres inſtitui, Auth. licet. C. de natu. lib. per quẽ tex. excluduntur tantùm nati ex damnato

nato coitu, non video qua ratione natu ralis ex fratre poſſit excludi; poteſt.n. naturalis ex concubina natus a quocũque capere. Oʒaſc.deciſ.85.nu.1. Burſ. conſ.83.num.1.in fi.lib.1. poſt innumeros quos allegat Alfan. collectan. 957. Sunt etenim multæ differentię, quæ notãtur in materia ſucceſſionis, & in alijs caſibus inter iſtos naturales, & ſpurios; Et primò naturalibus competit querela contra teſtamentum matris. l. ſi ſuſpecta.ff.de inoff.teſta.ſpurijs non. Secundò, pater illis naturalibus, & ex teſtamento donationem relinquere poteſt, vt dixi ſupra: ſpurijs adulterinis,etiam legitimis non exiſtentibus, relinqui nihil poteſt. Rimin.iun.conſ.611.nu.15. lib.6.Guido Pap.q.280. Tertiò,iſti naturales ſuccedunt matri, fratribus, & ſororibus.gloſ.in §.pen.Inſtit.ad Orfic. quam communiter receptam dicit Afflic.in conſt.ſicut accepimus, Rubr.89. lib.1.num.2. Spurij verò excluduntur. Quartò, ſtatuta, & conſuetudines loquentes de ſpurijs non comprehẽdunt naturales,Iul.Ferret.de gabel.num.63. Quintò, auus poteſt naturalibus relinquere nepotibus, vel legitimis ex filio naturali, quod ſecus eſt in ſpurijs ex damnato coitu natis. Celſ.Hugo. conſ.88. num.1. Sextò, teſtamentum minus ſolemne inter liberos naturales factũ ſuſtinetur,non inter ſpurios. Benedict. in c.Raynutius,in verbo,& vxorem, num. 679. de teſtam. Septimò,naturales admittuntur ad ius retractus, à quo prohibentur ſpurij,qui non habẽt ius agnationis. Benedict.ibid.nu.715. Quò fit, mirum non eſſe, ſi & contra naturalem dicamus nõ competere querelam inofficioſo fratri, cùm Doctores loquantur in vero ſpurio. Quis autem in materia dicatur ſpurius,& quis naturalis,ſcripſi latè deciſ.22.par.2. vbi tractatur de ſucceſſione naturalium,& ſpuriorum inter ſe:& ad opinionem hanc meam ſuſtinẽdam pro limitatione pręſentis Deciſionis, facit regula, quã poſt multos propouit Peregrin. de iure fiſ. lib.3. tit.18. num. 41. quòd ſpurij non prohibentur capere ab extraneis, & collateralibus, tam paternis, quàm maternis, tam inter viuosſ, quàm per vltimas volũtates.

AD DECISIONEM CXXVIII.

EX traditis hic, num.10. quòd teſtamentum in totum rumpatur; Quæro, an hoc caſu per clauſulam codicillarem ſuſtineatur teſtamentũ fauore inſtituti, ita vt ille, ob cuius querelam ruptum eſt teſtamentum, teneatur hæreditatem reſtituere hæredi inſtituto, detracta legitima? Exemplum. Mater habens filium naturalem illum prætetijt in ſuo teſtamento, filius egit de inofficioſo, & obtinuit, per l.ſi ſuſpecta, de inoffic.teſtam.hęres inſtitutus dicit, per clauſulam codicillarẽ, ſibi eſſe, detracta legitima,hæreditatem reſtituendam: Quæritur an iure petat? Et cum hæc quæſtio, ſatis meo iudicio ſubtilis, eſſet præteritis diebus propoſita in quadam cauſa Taurinenſi de Bauzanis, relata per Dominum meum Senatorem Brocardum, licet primo aſpectu, omnes Domini eſſent opinionis, quòd illa clauſula conſeruaret ius inſtituti, detracta legitima filij præteriti, per effectum illius clauſulæ, quæ ſaluat teſtamẽtum, per præteritionem ruptum, vt infra deciſ.141. Ego tamẽ dicebam caſum non eſſe ſine difficultate, & contra inſtitutum allegabam, primò, quòd differentia eſt conſtituenda inter præteritionẽ, & exhæredationem, prout in iſtis terminis conſtituit Caſtrenſ. l. ſi patroni, §. fin. ff. ad Trebell. vbi voluit præteritione ruptum teſtamentum cõualeſcere,per illam cauſam,non autem per exhæredationem, ſed præteritio matris habetur pro exhæredatione; ergo. Secundò fortiùs dicebam,quòd immò per ſolam præteritionem,quando per inofficioſi querelam teſtamẽtum rumpitur, fidei-

fideicommiſſum non debetur; quia teſtamentum non valet tanquã à demente factum, l. nec fideicommiſſa, & l. Titia, hic allegatis. Ergo, ſicuti non valet teſtamentum in vna parte, non valebit in altera; quia ſi rumpitur teſtamẽtum, corruit ipſa inſtitutio. Tertiò allegabã communem opinionem, de qua in hac Deciſ. nu. 1. quòd teſtamentum non ſuſtinetur per talem clauſulam, ſed in totum rumpatur: licet ad illam dici poſſet, quòd procedit quando teſtamẽtum rumpitur culpa hæredis ſcripti, ſecus autem, ſi rumpatur, ob non factam inſtitutionem in perſonam filij. Quartò, in terminis, dicebam eſſe gloſ. in Auth. ex cauſa, in fi. C. de liber. præte. vbi dicitur verum eſſe, quòd quando per querelam de inofficioſo rumpitur teſtamentum, tunc inſtitutus non poteſt, ſub prętextu illius clauſulæ, detracta quarta, reliquũ petere; quã glo. non video reprobatam, licet Cyn. ibi diſtinguat, in fine. Nec obſtare alteram opinionem cõtrariam, de qua ibi num. 2. quia, in omnem caſum procedit, quando agitur de reſtituenda hæreditate ſubſtituto, vel ab inteſtato venientibus, non autem ſi agatur de reſtituenda per præteritum hæreditate inſtituto. Ratio differentiæ eſt, quia inſtitutus ab inſtitutione per querelã excluditur, quæ eſt baſis teſtamẽti, & non ſemper inſtitutus erit ex veniẽtibus ab inteſtato; immò ille qui querelat eſt is qui venit ab inteſtato, quod ſecus eſt in alio caſu. In cõtrarium allegabatur Deciſio Surdi 295. in qua dicit Senatũ Mantuanum iudicaſſe contra filium in re modica inſtitutum, vt ſuſtineretur teſtamentum, per clauſulam, omni meliori modo, & per clauſulam codicillarem; motus illa opinione Doctorum, quòd illæ clauſulæ ſuſtineant teſtamentum aduerſus prętericionẽ, vt ibi nu. 10. & 11. Sed Surd. & Doctores per illum allegati loquuntur in pręteritione, non autem in exhæredatione, & quoniã teſtamentum rumpitur, tanquam ab homine non ſanæ mentis factũ, vt dicunt illa iura in l. Titia, & in l. nec fideicommiſſa; quæ iura non ſunt correcta per Auth. ex cauſa, C. de lib. pręt. vt quidam voluerunt; quia illa Auth. loquitur quò ad legata, & fideicõmiſſa, quæ præſtanda ſunt, non autem vt hæres inſtitutus excluſus aliquid capiat. Secundò, pro inſtituto, facit doctrina Caſtrenſ. in d. l. ſi patroni, num. 9. vbi dicit, in terminis conſuluiſſe, filium exhæredatum teneri per fideicommiſſum reſtituere hæredi inſtituto. Sed Caſtr. loquitur cõtra tex. & contra illam diſtinctionem, quam in dicto loco tenuit, de qua dixi ſupra in princ. & cum Caſtr. tenuit Imol. in dicto loco, & in l. filio præterito, col. 17. verſ. quid autem, de iniuſ. rup. vbi conſtituit differentiam inter collaterales, & filios, volens filios eſſe, in hoc, deterioris conditionis; ſed Imol. loquitur, quando filius agit, propter turpem perſonam inſtitutam. Et eſt aduertendum, quòd per Auth. ex cauſa. ſuſtinetur teſtamentum quò ad legata, & fideicommiſſa tantùm, quę præſtantur ab eo, qui obtinet ab inteſtato, non quò ad inſtitutionem, vt ab inſtituto pręſtẽtur, contra legis auctoritatem; Et quò ad inſtitutionẽ non ſunt correcta iura antiqua, quæ ſunt correcta tantùm quò ad præſtationem legatorum, non quò ad alia: & Doctores, qui dicunt de correctione, non dicunt eſſe correcta illa iura, in l. Titia, & in l. nec fideicommiſſa, niſi in terminis illius Auth. Ideò non eſt extendenda correctio. & in hanc ſententiã multi ex Senatoribus mecũ inclinabant; licet cauſa poſtea, ob dubium articuli, fuerit concordata: poſui etiam aliqua infra ad deciſ. 141. vbi vide.

AD DECISIONEM CXXXI.

CVm diuiſio ſit facta iuriſdictionis, & imperij inter eccleſiaſticos, & ſeculares, reſque ipſæ omninò ſint ſeparatæ,

non

non videtur poſſe Principē ponere manum in iſtis rebus Eccleſiaſticis, quocunque modo, vel ſub quouis colore, & prætextu id facere velit, vel eius officiarijs quia, vt in materia iſta tradit Rebuff. in tract. de appellat. & Iacobin in l. ſi quis in conſcribendo, num. 10. C. de pact. diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet; aliàs induceretur confuſio, cùm Prælati iuriſdictionem eccleſiaſticam in territorio Principis ſecularis exercentes, vellent reductionem facere, vt Princeps ſecularis ad idem tēderet, quæ confuſio omninò eſt euitanda, vt in iuriſdictione ipſa dicit Benedict. in c. Raynutius, in verbo, & vxorem, ſecūda deciſ. nu. 438. in fi. Bernard. Laurenc. in tracta. de poteſtā. secul. ſuper Eccleſ. num. 1. immò vnaquæque Curia poteſt pęnali iudicio ſuam iuriſdictionem tueri, vt dicitur hic, & elicitur per text. in l. 2. ff. ſi quis in ius voca. non ierit, l. ſi quis ex aliena. ff. de iudic. Bened. in d. c. Raynutius, in verbo, ſi abſque liberis, num. 47. & 49. & in verbo, & vxorem, ſecunda deciſ. num. 411. Panor. in c. ſuper litteris, num. 10. verſ. ſextus caſus, de reſcript. Crau. conſi. 253. nu. 2. & vna alteri ſuffragare tenetur, cap. dominus, 24. quęſt. 2. l. fin. circa princ. C. de re milit. lib. 12. vbi Luc. de Pen. Barro. Belenzin. de charit. ſubſid. q. 56. nu. 3. & q. 57. nu. 7. P. Bellug. in Spec. Princip. Rub. 11. §. dubitatur, nu. 6. & 7. & eſt tex. notabilis in c. dilecto, in fi. de ſent. excomm. Et quamuis inhibitionem illam fortè non ſubſiſtere aliqui contendant, ſi per laicum Iudicem eccleſiaſtico fiat; tamē inoleuit cōſuetudo, & illa multis præiudicijs eſt firmata, & antiquata, vt per ſupremam Curiam poſſit inhibitio fieri, ſub pœna reductionis bonorum temporalium ad manus Domini; prout & in Gallia, ac per totam Hiſpaniam obſeruari teſtantur Bened. in d. §. ſi abſque liberis, num. 47. per c. quo iure, 8. diſtin. Carol. de Graſſal. lib. 2. Regal. Franc. iure 7. hinc eſt. Didac. practic. qq. cap. 35. num. 2. & 3. vbi multis comprobat huius inhibitionis morem. Et dixi hoc fieri debere per ſupremam Curiam, quia Iudicibus inferioribus hoc non eſſet licitū; vt de cognitione ipſa dixi, ad deciſ. 82. & in ſpecie ſcribit Rupella. lib. 1. inſtitut. forenſ. cap. 25. in gl. ſuper verbo, cautum, verſ. id autem non licere, & verſic. verùm ſi Pontificius. & Benedict. ac Rebuff. in locis ſupra citatis. & de ſtylo, & obſeruantia noſtra teſtis eſt etiam D. Ozaſc. deciſ. 50. Quibus ſtantibus non videtur poſſe Principem hac in re ſitorū Officialium miniſterio manum apponere; Et ideò ſolent ſemper Nuncij Apoſtolici apud Sereniſſimum Ducem noſtrum commorantes inuigilare, & ipſi primi faciūt iſtam reductionem, qua facta non poterit poſteà ſecularis ſe intromittere, ſed expectabitur prouiſio de beneficio vacante à Summo Pontifice; Sed aduerte, quòd Illuſtriſſimi Nuncij hoc faciunt nunc, ſub prætextu ſpolij, quod ad Reuerendiſſimam Cameram ſpectat; non quin & Princeps noſter poſſet ſi vellet reducere, & vti antiqua ſua obſeruantia, qua & Chriſtianiſſimi, religioſiſſimique ſui prædeceſſores vſi fuerunt; ſed quando hoc fit, debent Principum Conſiliarij vti omni reuerētia, neque poterunt quidquam percipere, nec in vſus profanos conuertere fructus bonorum Eccleſiæ; ſed ſub fide regia ſucceſſori, vel Cameræ Apoſtolicæ conſeruabunt: damnandaque prorſus eſt illorum Principum tenacitas, & auaritia, qui vel illos percipiunt, vel aulicis ſuis donant. Vide ad materiam Decif. Franciſcum Marc. quæſt. 90. & ſequentib. multis. Alba. conſil. 75. num. 3. & ſeqq. & de conſuetudine cuſtodiendi bona Eccleſiæ vacantis per laicum, teſtatur Abb. in cap. vt præteritæ, in fi. de electio. Stephanus Meleret. in tractatu de elect. liber. fac. fol. mihi 19. verſic. ſed quid de bonis Eccleſiæ. vbi vide multa notabilia circa hanc materiam.

AD DECISIONEM CXXXIII.

AD *num.* 1. *verſic.* 4. *Addebam*. De veritate illius dicti per Aufreriũ; vtrum Princeps, vel Iudex laicus poſſit punire clericum, & contra illum procedere de rupta ſaluaguardia; fuit aliquando diſputatum in Senatu, cùm Vicarius Epiſcopi, fregiſſet, & laceraſſet litteras Saluaguardiæ, de more fixas, & publicatas ad valuas cuiuſdam domus, quam Vicarius prætendebat eſſe eccleſiaſticam. Et videbatur non poſſe clericum inquiri, quia in eius perſonam, nullam laicus Iudex poteſt habere iuriſdictionem. cap. nullus, cum ibi notat. de foro compet. Auth. ſtatuimus, C. de epiſc. & cler. Item quia, ſicuti ſtatuta laicorum non ligant clericos, & perſonas eccleſiaſticas, cap. Eccleſia, de conſtitut. Barto. in l. cunctos populos, C. de ſumma Trin. Barbat. cõſ. 12. in fi. num. 35. lib. 1. ita nec ſaluaguardia, vel edictum Principis ligabunt ipſum clericum, vel res Eccleſiæ. In contrarium allegabantur multa: Primò, quòd ſolet Saluaguardia impetrari, pro manutentione poſſeſſionis, qua in cauſa, cùm Iudex laicus ſit competens, vt dixi ſupra ad deciſ. 82. pertinere debent ad ipſum Iudicem omnia dependentia ab ipſa iuriſdictione, inter quæ eſt coërctio contra frãgentes ſaluaguardiam, quæ coërctio fruſtratoria eſſet, ſi non militaret contra quaſcunque perſonas, etiam Eccleſiaſticas, per ea quæ notat Benedict. in cap. Raynutius, in verbo, & vxorem. ſecunda deciſ. nu. 433. Secundò, adducebatur tex. in l. fin. C. vt nemo priuat. tit. præd. ſuis, vel alien. imp. vbi etiam contra clericum proceditur, in caſum falſæ impoſitionis. Tertiò, ego dicebam, quòd per infractionem ſaluaguardiæ offenditur Principis Maieſtas, cum Regiæ Maieſtatis ſit ſaluaguardiam apponere. l. 1. C. vt nemo priua. Ioan. Fab. in l. denunciamus, C. de his, qui ad Eccleſ. confug. Aufrer. in addit. ad Capell. Toloſa. q. 490. num. 6. at in crimine læſæ maieſtatis, etiam contra clericos, & Eccleſiaſticos proceditur. Maſue. in praxi, tit. de remiſſionib. nu. 9. Et hoc præſertim, quia poteſt puniri Clericus in bonis temporalibus, iuxta conſiliũ Oldra. 17. Quartò, in iſtis terminis, vltra Aufrer. allegabantur authoritates Doctorum, nempe Iacob. Rebuff. in l. ab ijs, nu. 8. C. de nauicular. lib. 11. Neuizan. conſ. 83. num. 11. Caſſan. in conſuetud. Burgund. ritu. *des Iuſtices*. §. 5. num. 81. qui loquitur eadem verba cũ Aufrerio, & ſequitur Benedic. in d. c. Raynutius, in verbo, & vxorem. deciſ. 2. num. 435. & 439. Maſuer. in dicto tit. de remiſſionib. num. 7. verſic. item in ſaluaguardia. & tit. 6. de Iudicib. num. 9. Verùm, ad hæc omnia reſpondebatur, quòd non ſunt vera, in caſu iſto; quoniam agitur de punienda perſona clerici, cùm dicat ſcriptura: *Nolite tangere Chriſtos meos*, & ad illas authoritates dicebatur, quòd loquuntur de conſuetudine Galliæ; qua circumſcripta, Rebuffus dicit periculoſum eſſe tenere hanc opinionem, & eſſe puniendos per ſuum Iudicem. Neuiza. non reſoluit, ſed relinquit cogitãdum; Et in conſuetudine, & poſſeſſione regis ſe fundat Caſſan. Et in ſpecie, Iudices procedentes contra clericos, hoc in caſu, dicit eſſe excommunicatos. Gui. Pap. quæſt. 77. num. 3. & ibi nouiſſimus Apoſtillator ſcribit incidere tales Iudices in pœnam. cap. ſi quis ſuadente. 17. q. 4. poſt Ioan. And. in cap. 2. gloſ. penult. de foro compe. lib. 6. Et Maſuer. in caſu aſſecuramenti, tenuit contrarium, tit. 12. de aſſecuramen. nu. 5. & propterea Gui. Pap. q. 235. dum quærit, qua pœna puniatur frangens litteras Gubernatoris, cùm de illo facto eſſet inquiſitus quidam clericus Prior Sancti Donati, dicit nihil fuiſſe determinatum. Senatus in hac quæſtione fuit diu anceps; tandem concluſit non poſſe contra clericum, &

Vica-

Vicarium (qui erat Canonicus Eccleſiæ Metropolitanæ) procedi, ſed eſſe prouidendum contra laicos, qui fecerant inſtantiam Vicario de procedendo; & iuhibuit Vicario de ſe vlteriùs intromittendo, ſub pœna reductionis bonorum temporalium ad manus Domini, neque poterat, hoc caſu, dici remanere infractorem impunitum, quia poterat per ſuum Iudicẽ puniri, etiam pro infractione ſaluaguardiæ alterius tribunalis; Et ita fuit reſolutum in cauſa Taurinenſi quorundam de Vilanis. 1598. menſe Octobris.

Ad eandem Deciſ. & ad illius materiam. Nota, quòd opinionẽ illam, quòd in caſu infractionis ſaluaguardiæ, ſolus Princeps, & illius ſupremus magiſtratus cognoſcant, etiam odio vaſallorum tenuerunt Rebuff. in l. ab his, col. 1. in fine, C. de nauicular. Caſſan. in conſuetud. Burgun. Rubr. 1. §. 4. num. 65. Ioan. Ferraut. de priuil. Reg. Franc. priuil. 16. Iacob. Bonaud. in ſuo panegirico, poſt tract. Ioan. de Terra rubea col. 14. Natt. conſi. 237. num. 2. Maſuer. in praxi, tit. de Iudicib. uu. 14. & tit. de remiſſ. nu. 9. Renat. Copin. de iuriſdictione Andegauen. lib. 1. cap. 42. num. 11. dicens ita iudicatum: &, de deman. Fran. lib. 2. tit. 8. in fi. citans etiam pro eadem ſententia Aufreriũ. Verùm, iſtis non obſtantibus, ego non recedo à ſententia Senatus, quam ſanctam, & iuridicam exiſtimo, ne vaſalli iurib. ſuis fraudentur, vt per Roland. conſ. 73. in fi. lib. 4. Neque mouent authoritates illorum Doctorum, quia loquuntur in cõſuetudine Galliæ, in qua feuda non habẽt illa priuilegia, quæ in patria noſtra vaſallis cõpetunt, cùm ſint ad inſtar aliorum bonorum allodialium, & patrimonialium; noſtra verò feuda ſint propria, & titulo oneroſo quæſita; &, ſi admitteremus contrarium, ſequeretur quòd in fraudem vaſalliticæ iuriſdictionis poſſent ſupremi Domini ad ſe trahere cognitionem omnium cauſarum crimiualium, reducendo ſubditos vaſallorum ſub protectione, & ſaluaguardia ſua. Hęc autem ſaluaguardia nihil operatur, niſi quòd magis ſpecialiter reducit aliquem, & bona, ſub protectione Principis, cùm aliàs omnes ſubditi dicant ſubditi Principum, Io. de Plat. in l. fin. C. de erogat. milit. annonæ. Natta in elem. ſæpe, col. lat. 15. de verb. ſignific. Neuiz. conſ. 83. num. 3. Abb. in cap. recipimus, de priuileg. Dec. in cap. euidentiam, de appel. Cagnol. in proœm. Digeſtorum, nu. 55. & ideò, inducta ad conſeruandum ius ſubditi, non debent operari deſtructionem iurium vaſalli. Bald. in cap. 1. col. penult. an agn. vel fil. Iaſ. in l. ſi ſic, in 3. notab. ff. de verb. obligat. immò pœna delicti ſemper eſt applicanda vaſallo, eò quòd ſit negligens, & quòd foret locus præuentioni, vt ſolet ex ordine Decretorum iudicare Senatus. Neque mouet quod in ſuæ iniuriæ vltionem ſupremus Dominus debeat habere emolumentum; quia hoc non habet locum in terra vaſalli; etiam quod in litteris diceretur pœnam eſſe applicandam Fiſco Principis, ſaluaguardiam concedentis; quia illa clauſula intelligitur reſpectiuè in pœna, quæ datur ſubdito immediato, non mediato: prout fuit latè per me concluſum, in cõſilio edito pro defenſione iurium vaſallorum Pedemontanæ huius patriæ, contra ſcripta Surdi conſ. 152. ſuper ardua illa quæſtione, quæ de anno 1590. fuit in Senatu propoſita; vtrum pœna edicti, per quod Princeps facit de nõ delicto delictum, ſit vaſallo applicanda; quod conſilium videbitur pleniſſimum in illa materia, & ſeparatim, ad meorum amicorum aſſiduam poſtulationem, poſt hęc ſcripta infra ſubijcitur: quamuis meæ non eſſet ſententiæ nunc prodere, ne aliquibus, malè de publico bono audiẽtibus, calumniãdi, & apud Sereniſſimum Dominum meum detrectandi viam aperirem; ſed certior factus de recta, & ſancta Principis mente non dubitaui (ſal-

F tem

tem motiuandi gratia, vt reſponderi per Dominos Patrimoniales contrarijs poſſet) in medium proferre, ſaluo ſemper omni iure D. Ducis, & aliorum rectiùs ſentientium ſententia. Et pro iſta opinione, fauore vaſalli addo rationē; quia ſaluaguardia iſta, etiam à ſupremo domino obtenta, ſubditum non tollit à iuriſdictione vaſalli, vt eſt text. in cap. ex parte. 2. extra de priuileg. Gui. Pap. q. 56. Et hæc procedunt, vt dicit Dominus meus hic, in generali ſaluaguardia, ſecus in ſpecialiter obtenta, virtute iudicati; ratio differentiæ eſt, quia in hac vltima magis offenditur maieſtas, & authoritas Principis, cuius principaliter intereſt, vt iuſtitia ſeruetur; Et in hoc caſu procedet dictum Rebuff. & authoritates aliorū, ex l. nullum, C. de teſtib. & pro iſta differentia faciunt, quę ſcribit And. Gaill. obſeruat. lib. 1. cap. 2. & cap. 4. vbi inquit, quòd ſi frangatur ſaluaguardia in ſpretum pacis publicæ, cognoſcitur cauſa per Cameram Imperialem, ſi verò contraueniat quis ſimplici mādato, ne quid de facto fiat, tunc remittuntur partes coram ſuis ordinarijs, aliud enim eſt quòd ſpernatur iudicatum, aliud quòd contraueniatur ſimplici inhibitioni. Et cum deciſ. iſta in generali ſaluaguardia, etiam quòd in litteris adeſſet clauſula, ſub pœna centum fiſco Principis applicanda, tranſiuit Senatus, in cauſa Marchioniſſę Planitiarum 1604. menſe Ianuarij, in qua pœna fuit vaſallo addicta.

RESPON-

Digitized by Google

RESPONSVM

REDDITVM

PRO DEFENSIONE IVRIVM DOMINORVM VASALLORVM PEDEMONTANÆ PATRIÆ,

SVPER QVAEST. CORAM EXCELL.MO Pedemontano Senatu propoſita.

An iuriſdictio, & pœnarum, ac emolumentorum perceptio, ad Vaſallos ſpectent, quando per illorum ſubditos generali Principis edicto contrauenitur, An verò Principi reſeruata cenſeantur.

M D XC. menſe Decembris.

ARGVMENTA.

1 *Vaſallus inueſtitus de feudo, cum mero, mixto imperio, & omnimoda iuriſdictione, habet iuriſdictionem priuatiuè, quo ad inueſtientem, & num. 20. & 55.*

2 *Vaſallus cognoſcit in omnibus cauſis priuatiuè quò ad conoedentem.*

3 *Vaſallus habet iuriſdictionem ordinariam in ſuo feudo.*

4 *Princeps in terris Vaſallorum non exercet voluntariã iuriſdictionem.*

5 *Vaſallus inueſtitus de feudo habet mulctas, & pœnas priuatiuè, quò ad inueſtientem. & nu. 17. & 38.*

6 *Vaſallus habet eandem in ſubditos authoritatem quam habet Princeps: et uices Principis gerit. nu. 7.*

8 *Vaſallus an poſſit imponere pœnam confiſcationis bonorum, & nume. 40. & 56.*

9 *Vaſallus an poſſit ſtatuta condere.*

10 *Quæſtio de pœnarum applicatione, in feudis, eſt antiqua.*

11 *Imperium merum, & mixtum, in*

inueſtitura, de quo intelligatur.

12 *Princeps pœnas ſubditorum habet, in ſuæ iniuriæ vltionem, & quomodo id procedat. num. 18. 29. & 33.*

13 *Inueſtitura de feudo facta, non cenſetur Princeps à ſe abdicaſſe ſupremum dominium.*

14 *Inueſtitura facta cum pœnis, & mulctis eſt intelligenda de præſentibus. & num. 32.*

15 *Inueſtitura facta Vaſallo comprehendit tantùm ea, quæ peruenerint ex ipſa re. & nu. 34.*

16 *In ea quæſtione, cui applicetur pœna, quando Princeps per edictum facit de non delicto delictum, eſt pro Vaſallo concludendum. & nu. 22. 23. & nu. 37.*

19 *Regula concurſus, in feudo, quomodo ſit intelligenda. & nu. 30.*

21 *Principis conceſſio an extendatur ad futura.*

24 *Comitatus ſignificat territorium.*

25 *Tex. in l. 1. C. de offic. præfec. vrb. declaratur.*

26 *Decretum Amedei Ducis Sabaudiæ fauore Vaſallorum.*

27 *Imperij gradus diſtinguuntur, & num. 28.*

31 *Clauſula, ſub pœna fiſco applicanda, declaratur.*

35 *Natta in conſ. 580. declaratur.*

36 *Vaſallus per inueſtituram obtinet confiſcationes.*

39 *Vaſallus poteſt edicta facere in ſuo territorio. & nu. 53. & 54.*

41 *Natta conſ. 659. defenditur.*

42 *Amedei à Ponte doctrina defenditur. q. laudim. 24.*

43 *Reſeruatio facta in inueſtitura quid importet.*

44 *Vaſallus cognoſcit ſuper contrauentione edicti Principis, quando ſecundum ius commune decernit. Amplia etiam in Regalibus. nu. 45. & num. 51.*

46 *Inueſtitura facta cum Regalib. quid importet.*

47 *Conſuetudo in hac quæſtione attendenda.*

48 *Præſcriptio habet uim conceſſionis, & nume. 49.*

50 *Hæc quæſtio non procedit in non habente ſupremam iuriſdictionem.*

52 *Conſeruatores non præiudicant Vaſallis.*

57 *Deciſio D. P. Teſſauri 250. declaratur.*

58 *Princeps non poteſt priuare Vaſallum ſua iuriſdictione, per indirectum.*

59 *Homo hõis mei an ſit homo meus.*

Excitet Dominus ſpiritum meum, vt loquatur iuſtitiam, & veritatem.

LICET re vera tempus aptum, & commodum mihi iſtud minimè videatur ad aſſumẽdam diſputabilem, controuerſam, & periculoſam quæſtionem, quæ ad inſtantiam Procuratoris fiſci mota fuit cõtra omnes Vaſallos huius patriæ, An cognitio, pęnæ, & mulctę, vti fructus iuriſdictionis, Vaſallis ſpectent, in caſibus edictorũ Principis, ſiue edicta cõcernant regalia Principi ſpectantia, ſiue conſtituant de non delicto

delicto delictum; cùm maior pars Vaſallorũ abſens ſit pro ſeruitio Sereniſſimi Ducis, & Domini noſtri in partib. Prouinciæ, neque congruum videatur, tutumq́; ſit contra voluntatem Principis, & ſuper materia ipſius intereſſe concernente diſſerere, aut diſputare; tamen rogatus ab aliquibus Vaſallis, & præſertim ab Illuſtr. Comitibus Valpergiæ, vt ſcriberem, & illorum iura in hac cauſa conſideranda proponerem, & defenderem, non dubitaui prouinciam iſtã humeris meis ſatis grauem pro defenſione Vaſallorum ſuſcipere, quã ſcio alios præſtantiſſimos, & doctiſſimos I.C. ſuſcepiſſe, qui huic oneri Herculeam manum quaſi grauato Atlanti ſubponere poterunt; Venia priùs omni humilitate, & reuerentia poſtulata Sereniſſimo Domino meo, proteſtans me, non niſi pro legum dictamine iſta ſcribere, & ſi quid ſcribam per quod aures illius ſacratiſſimæ offendantur, non ſcriptum, & non dictum eſſe volo. confidens non minorem in ipſo Principe noſtro iuſtitiam reperiri, quàm penes Hadrianum Imperatorem, necnon apud Theodoſium, & Valẽtianum extitiſſe legimus; quorum primus ampliari potiùs hominum adiectione Imperium, quàm pecuniarum copia velle dicebat, in l. cum ratio. ff. de bon. damnator. alij verò maius eſſe ſubmittere legibus principatũ exclamabant. l. digna vox. C. de legibus. quod quidem in hac ipſa cauſa ſatis apertè conijcimus, cùm euocari fecerit Vaſallos ad comparẽdum cum ſuis aduocatis, pro ſuorũ iurium defenſione, de quo maximas gratias referunt, & referre eidem Domino noſtro debent Vaſalli, piam, & bonam, rectamq́; Principis mentem, hinc agnoſcentes.

Ad rem igitur, & tractationem à nobis ſumptam deueniendo, ſunt pro elucidatione præſentis controuerſiæ, aliquot concluſiones præſupponẽdæ, quas ab omnibus, in hac materia ſcribẽtibus, approbatas, & receptas eſſe reperio.

1 Prima eſt, quòd Princeps † inueſtiens Vaſallum de aliquo caſtro, villá, vel Ciuitate cum mero, mixto imperio, & omnimoda iuriſdictione, (prout ſolent per Principem noſtrum inueſtiri regulariter huius patriæ, & ſui Status Vaſalli) transfert in eum omnia iura vtilia; & omnem cauſarum, tam ciuilium, quàm criminalium notionem, priuatiuè, quò ad ipſum Principem ſic inueſtientem: prout eſt vulgatiſſimum dictum Baldi, quem omnes ſequũtur, in l. 1. quæſt. 43. ff. de rer. diuiſ. Brun. conſi. 31. num. 7. & conſ. 47. num. 7. Iaſ. conſ. 57. col. 2. in fi. lib. 3. Boſſ. in titu. de pœn. num. 25. Luc. de Pen. in l. 1. col. 8. verſ. ſecundò quæritur. C. de priuileg. ſchola. lib. 12. Grammat. deciſ. 30. num. 2. Natta conſi. 418. in princ. & num. 7. & conſ. 580. num. 4. vbi atteſtatur omnes Doctores ita tenere, & alij multi, quos citat Rolan. conſi. 21. num. 10. lib. 4. Franc. Marc. quæſt. 91. num. 4. par. 2. poſt Ioan. Fabr. in titu. de excuſat. tut. Inſt. in princ. P. Iacob. in tit. de condic. ex lege, quæ oritur ex liter. oblig. num. 7. in fi. latè Crau. conſ. 411. à num. 28. vſque ad 37. lib. 3. Bero. conſil. 74. num. 7. & ſeqq. lib. 1. Socin. iun. conſi. 126. num. 1. & 3. lib. 3. Ozaſc. deciſio. 29. num. 8. Et propterea Vaſallus
2 cognoſcit † in omnib. cauſis, in prima, vel in ſecunda inſtantia, iuxta qualitatem inueſtiturarum, priuatiuè quò ad Dominum concedentem, Iacobi. in ſua inueſtitu. in verbo, Vicarius, num. 41. & in verbo, cum mero, & mixto imperio. Abb. in cap. cæterùm, col. 2. in fi. de iudic. Neuizan. conſ. 61. num. 9. Dominus Senat. Sola ad Decret. antiq. Sabaud. car. 3. col. 1. num. 3. Aegid. Tomati de collect. §. Ne ſcienter, num. 9. D. Præſes Teſſaurus, pater meus, deciſ. 132. nu. 2. & 226. num. 4. Ozaſc. conſi. 26. num. 16. cum feudum habeat fidei ſuæ commiſſum, exẽplo Præfecti vrbis, in l. 1. §. initio. ff. de offic. præfec. vrb. qui ob talem commiſſionem, cognitionem omnium eorum, quæ intra vrbem admittebãtur

habere

habere dicebatur. Et hęc regula ita efficax eſt, vt non poſſit Dominus vaſallũ, in hac ſua iuriſdictione, ſeu in illius exercitio turbare, ſine iniuria; niſi præcedat cauſa legitima. P. Iacob. in dicto titu. de condic. ex lege, num. 8. per tex. in Authen. de defenſorib. ciuitat. §. nullam. Brun. conſ. 169. lib. 2. Franc. Marc. dicta deciſ. 91. num. 5. nam aliàs, iuris ordo confunditur, cùm vnicuique ſua iuriſdictio nõ ſeruatur, cap. vt debitus, de appellat. Benedict. in c. Raynutius, in verbo, & vxorem. 2. deciſ. num. 438. & hoc eſt ſpeciale priuilegiũ quod habet vaſallus in feudo, præter alios Iudices ordinarios, cum quibus Princeps in iuriſdictione cõcurrit, vt dicit Brun. conſi. 47. col. 2. in princ. Nat. conſ. 240.
3 num. 4. Iaſ. d. conſ. 57. Habet enim † vaſallus iuriſdictionem iſtam ordinariã, vt dicit Abb. in d. cap. cæterùm, num. 2. de iudic. à lege, tanquam Iudex perpetuus in feudo conſtitutus, & à Principe, per inueſtituram, titulo oneroſo cõceſſam, l. Imperialem, §. præterea ſi inter. de prohib. feudi alienat. per Frider. cap. ex tranſmiſſa, de foro compet. cap. cæterùm, & c. nouit, de iudic. Quò fit vt, licet aliàs dicatur Principem cum omni ordinario in iuriſdictione concurrere, & ſemper cenſeri conceſſam iuriſdictionem cumulatiuè, & non priuatiuè, quò ad ipſum concedentem, in quo reſidet ſuprema poteſtas, & maior iuriſdictio inſeparabilis. Bald. in l. qui ſe patris, num. 14. verſic. in conceſſis, C. vnde libe. Grammat. deciſ. 46. & voto 28. quia iuriſdictionalia Princeps tollit ad libitum. Ange. in l. 1. ff. de offi. eius. Roland. conſ. 80. lib. 2. Crauetta conſi. 47. & latè per Dec. conſi. 3. Vant. de nullita. c. 9. num. 26. Tamen in Vaſallo, cui quaſi in contractum data iuriſdictio eſt, hæc non militant D. Senat. Sola. car. 6. col. 1. ſub num. 3. non enim tunc habet ex priuilegio; nec habet locum concurſus, cùm perpetuam habeat iuriſdictionem, vt notabiliter ſcribit Bal. in cap. 1. in fi. princ. de natu. feud. quem ſequitur Brun. conſ. 120. in fi. lib. 2. Pariſ. conſ. 8. num. 30. lib. 1. Capyc. in ſua inueſt. feud. pag. mihi 127. verſi. cognitione primarũ. & notanter ſenſit Grammaticus, quòd, ſicut non datur concurſus, ita non ſit locus præuentioni. in dicta deciſ. 30. ſequitur Roland. conſi. 48.
4 lib. 2. & 21. lib. 4. Immò, nec † poterit Princeps, in terris vaſallorum, exercere voluntariam iuriſdictionem, vt dare tutores. Ioan. Fab. in §. 1. col. 3. verſ. ſed an ſuperior. de Attil. tuto. Curt. iun. cõſ. 2. col. 1. Alciat. conſ. 206. num. 7.
5 Secunda concluſio eſt † mulctas, & pęnas eſſe fructus iuriſdictionis, & pertinere pleno iure ad eum, qui de iuriſdictione eſt inueſtitus, etiã priuatiuè quò ad dominum inueſtientem. Bart. Paul. de Caſt. & Alex. in l. fin. ff. ſol. matrim. Alex. in l. diuortio. §. ſi fundum, eod. tit. Iaſ. in l. imperium, nu. 8. & 10. ff. de iuriſdict. vbi Purpurat. num. 60. Præpoſit. in prælud. feud. num. 17. Iſern. in tit. de pace tenen. verſ. ſi verò aliquis, in fine, nu. 5. & ibi Afflict. in §. ſi quis aliquem, nu. 16. Bald. conſ. 306. diſtinguendum. & conſ. 307. lib. 4. Guid. Pap. quæſt. 76. Carer. in tract. de hæret. poſt ſuã pract. crimin. num. 135. Boſſ. dicto tit. de pen. num. 25. & in titu. de hæret. num. 34. de fiſco. concluſ. 24. & de Princip. num. 42. Petr. à Placa in epitome delict. cap. 13. num. 12. circa fin. Crau. conſ. 128. nu. 3. Caſſan. in catalogo glor. mundi, par. 5. conſiderat. 24. & in tit. *Des confiſcations*. §. 1. per totum. Veniunt enim iſta ſub nomine meri imperij. Docto. in l. imperium, & ibi Riminal. col. 2. Capic. in ſua inueſtitu. feudali, pag. mihi 127. col. 1. verſ. & damna. & cùm vaſallus ſit inueſtitus de iuriſdictione à Principe, & de vtili dominio feudi, de iſtis vtilitatibus à feudo quomodocunque prouenientibus cenſetur inueſtitus, vt pulchrè admodum conſuluit Caſtrenſ. conſi. 353. cõmodum. lib. 1. & videtur tex. ad hoc, in l. mulctarum, C. de modo mulctar. & hoc

hoc iure ſemper vſus fuit Senatus Ex-
cellentiſſimus, vt eſt videre in ſcriptis
per Excellentiſſimum Dominũ meum
primum Præſidem à Ponte in tract. ſuo
doctiſſimo, & vtiliſſimo de Laudim.
queſt. 24. & in allegatis dec. 132. & 266.
Atque hæc non immeritò vaſallo tri-
buuntur; quia, cùm ſubeat onera pro
pter feudum debita, æquum, & iuſtum
eſt, vt etiam emolumenta conſequatur,
iuxta reg. eum ſequuntur commoda ad
quem ſpectant & incommoda. Tiraq.
de retract. conuent. §. 5. gloſ. 4. num. 18.
Capic. deciſ. 27. num. 15.

Tertia concluſio eſt, & quidem atten
6 denda, quòd † Vaſallus inueſtitus de
feudo, præcipuè cum fidelitatibus ſuo-
rum hominum, habet eandem in homi
nes ſibi ſubditos facultatem, & poteſta-
tem, circa adminiſtrationem iuriſdictio
nis, & pœnarum inde prouenientiũ in-
dictionem, quam haberet ipſe Princeps;
& hæc habet priuatiuè, quò ad ipſum
Principem inueſtiẽtem; ita vt Princeps
nullam in ſuos homines habeat autho-
ritatem, niſi eam quæ iure ſuperiorita-
tis, & ſupremi dominij competere po-
teſt, vt per Brun. conſi. 32. in fi. ſtante re-
gula, quòd homo hominis mei, non eſt
homo meus, gloſ. fin. in cap. legitur. 82.
diſtinc. Spec. in tit. de feud. §. quoniam,
verſ. 14. Cui regulæ non obſtant, quæ di
cit ibi Brun. col. 1. & latiùs Natta con-
ſil. 487. lib. 3. quia illorum dicta intelli-
gi debent reſpectu vniuerſalis dominij,
& ſuperioritatis; quo dominio nunquã
cenſetur Princeps ſe priuare, ex quacũ-
que conceſſione, quantumuis generali,
& in quamcunque perſonam facta. l. le-
gatus. ff. de offic. Præſid. Luc. de Pen. in
l. quicunque. C. de omni agro deſerto,
lib. 11. Alex. in l. filio, quem. num. 15. de
lib. & poſthum. & conſ. 24. lib. 5. P. Bel-
luga in Spec. Princip. Rubr. 23. verſ. ſed
pone. num. 12. Iacobin. de S. Georgio in
l. imperium, num. 14. Franc. Zoannett.
de Roman. Imper. num. 169. 172. 175.
& 183. Alben. conſi. 62. & 64. D. Ozaſc.
conſ. 3. Quo attento non negatur quin
poſſit indicere caritatiuum ſubſidium,
vel collectam ſeu tributum hominibus
vaſallorum, vt dicit Natta d. conſ. 487.
per totum. D. Senator Sola ad decr. Sa-
baud. car. 4. col. 1. num. 6. & quòd Prin-
ceps poſſit præcipere ſubditis, ſicut po-
teſt ipſi vaſallo, vt per Afflic. deciſ. 265.
num. 107. cùm penes eum ſit etiam vni-
uerſalis iuriſdictio, ratione cuius co-
gnoſcit in cauſis appellationum; ſed ob
id non poterit priuare Vaſallum ea co-
gnitione, & emolumento, quod in eum
iam per ſuam inueſtituram erga homi-
nes ſuos translatum, ſeu translata fuit,
vt infra latiùs dicemus. & hoc eſt quod
voluit Spec. relatus à Bruno conſil. 31.
col. 2. quòd ſubditus magis tenetur obe-
dire Baroni, quàm Regi.

7 Quarta eſt concluſio. Quòd † Vaſal-
lus, poſt inueſtituram de feudo à Domi
no obtentam, ſic habet in ſe translatum
vtile dominium, quod Princeps ipſe in
eo feudo habebat ante factam inueſtitu
ram, vt omnia poſſit, quæ Princeps ipſe
in eo caſtro feciſſet, exceptis his, quæ à
ſuprema illa Principis poteſtate, & ſu-
perioritate deſcendunt; niſi & de iſtis
ſpecialem haberent inueſtituram: ita vt
in feudo vices Principis gerat, & illius
perſonam repræſentet; Caſtr. conſi. 34.
ſuper primo dubio. lib. 2. vbi voluit, ꝙ
illi, qui non temporale, ſed perpetuum
habent officium in ſuo territorio, loco
Principis habeantur, Brun. conſi. 103.
num. 4. & poſt eum Do. meus Præſes à
Ponte in dicta quæſt. Laudim. 24. Rimi.
iun. conſi. 68. num. 18. & 20. vt ſubroga-
tus ſapiat naturam illius, in cuius locũ
ſubrogatur. l. ſolet. ff. de iuriſdict. omn.
iud. ſicuti Iudicem quemlibet Principis
perſonam in illo iuriſdictionis actu re-
præſentare dicimus, ſiue ordinariam, ſi-
ue delegatam habeat iuriſdictionem;
quod quidem in vaſallo magis obtinet,
qui iuriſdictionem habet, non ad tem-
pus, ſed in perpetuum cõceſſam; & hoc
nõ ratione ſimplicis iuriſdictionis Va-

ſallo competit; ſed virtute conceſſionis
meri, & mixti imperij; quia hæc duo
ſunt partes illius imperij, quòd penes
Principem eſt; & ex eo conſequitur ani-
maduertendi facultatem in facinoro-
ſos homines capitales pœnas infligen-
do. l. imperium, ff. de iuriſd. omn. iudic.
Fulgoſ. conſ. 1. & hoc imperio vtitur Va
ſallus, ſicut Romanorum temporibus
Præſides prouinciarũ vtebantur. l. Præ-
ſes. ff. de offic. Præſid. l. illicitas. 6. eod.
8 Et virtute iſtius † meri imperij confiſca
tiones bonorum pro criminib. indicit,
Brun. cõſ. 120. col. 3. verſ. ex quibus in-
fertur. lib. 2. Bald. conſi. 205. lib. 4. Natt.
240. num. 4. Præpoſit. in cap. 1. in princ.
col. 3. de pace tenẽ. Guid. Pap. quæſt. 76.
circa princ. idem Nat. conſ. 506. nu. 27.
lib. 3. Benedic. in cap. Raynutius, in ver-
bo, & vxorem, num. 855. & parificantur
fiſcus Principis, & Vaſalli, per Nattam
conſ. 346. num. 1. & 3. Item edicit in ca-
ſtro, tam circa ea, quæ publicam ſubdi-
torum reſpiciunt vtilitatem, quàm quæ
priuatum cuiuſque commodum. Brun.
conſ. 101. 179. 167. & conſi. 189. Iaco-
bin. in §. cum mero, & mixto imperio,
num. 7. Dec. conſ. 199. Alex. conſi. 124.
col. 2. lib. 4. Bart. & alij communiter in
l. 1. in princ. ff. quod quiſque iur. & in l.
omnes populi, 1. queſt. ff. de iuſt. & iure.
Natta conſi. 550. D. Sola in proœm. De-
cretor. gloſ. 3. nu. 8. 21. 22. & 32. Franc.
Becc. conſ. 4. num. 1. vbi conſuluit in ca-
ſu prohibitionis delationis armorum.
in quo etiam caſu conſuluit Crau. con-
ſil. 314. Rolan. conſ. 3. per totum. lib. 4.
Bertazzol. conſi. ciuili. 21. lib. 1. Signo-
rol. conſi. 108. num. 15. & in hoc non vi-
9 detur hæſitãdum quin poſſit † vaſallus
ſtatuta condere, & edicta facere, ſecun-
dum ius, & pro vtilitate ſuorum ſubdi-
torum, & poterit prohibitiones, & pro-
clamata facere, ne res extra limites ſuos
exportentur. l. 1. & 2. C. quæ res expor-
tari non poſſ. & pulchrè conſuluit Si-
gnorol. d. conſ. 108. in fi. vbi conſuluit
pro Principe Pedemontium inueſtito,
contra Comitem Sabaudiæ inueſtien-
tem, & ſupremum dominum. & in ſpe-
cie, de prohibitione extractionis grani
extra territorium. Brun. conſi. 151. in fi.
D. Senator Sola in eius gloſ. ad Decr. Sa-
baud. car. 46. col. 4. num. 4. iſta enim ſta-
tuta concernunt vtilitatem publicã lo-
ci infeudati, & dependent ab illa con-
ceſſione meri imperij, & mixti: cuius
effectus eſt, vt Vaſallus in ſuo feudo im
peret, & ſtatuat, etiam faciendo de non
delicto delictum, vt benè, & optimè ſen
ſit D. Præſes. in dicta quæſt. 24. col. 4. in
noua impreſſ. verſic. limitant etiam ali-
qui. & quòd poſſit Vaſallus iſta procla-
mata facere, & ſtatuere, modò cõtra iu-
ris publici, vel particularem Principis
inueſtientis diſpoſitionem nõ decernat,
admittit, ſine difficultate D. P. Surd. in
ſuo conſ. 152. num. 10. & 41. lib. 2. vbi de
noſtra hac materia ex profeſſo tracta-
tur, conſulendo.

His ſic præhabitis, & præmiſſis, capio
quæſtionem per D. Procuratorem fiſca-
lem propoſitam, an cognitio, & pœna
proclamatũ, ſeu edictorum generalium
Principis, in terris Vaſallorum, ſpectet
ad ipſum Principem, an verò ad Vaſal-
lum. præſuppoſita inueſtitura generica,
& ordinaria, cum illa clauſula; *Cum
mero imperio, et omnimoda iuriſdictione.*
Quam quidem quæſtionem nouam, &
inauditam ante tempora. Boſſ. (quem
authorem conſtituit huius quæſtionis)
dicebat D. Antonius Bagnaſaccus fiſci
Aduocatus, in ſua diſputatione viua vo
ce facta coram Excellentiſſimo Senatu;
quia noua videtur his, qui res nouas q̃-
runt, & qui ipſius Principis naturalem
habitum, & propriam naturam ſubuer-
tere cupiũt, auaritiam à liberalitate ex-
10 trahere ſtudentes; ſed alijs † antiqua
eſt, & in patria, præſertim noſtra, iam
à multis annis diſcuſſa, & terminata, vt
infra demonſtrabimus. Habuerũt enim
antiqui noſtri Doctores pro expedito,
quòd Vaſallus inueſtitus de iuriſdictio-
ne cõſequatur omnes fructus iſtius iu-
riſdi-

riſdictionis,& ab ea proficiſcentes,nulla diſtinctione facta, an deſcendat delictorum cognitio ab ordinaria legis diſpoſitione, vel ab extraordinario Principis edicto, ſeu ſtatuto, benè, & optimè conſiderantes vtramque legem dici, & appellari, & in vtraque eſſe vniformiter procedendum, certis caſibus tātùm exceptis, vt ſuo loco dicemus. & ante Boſſ. de hac re ſcripſit Iaſ.cōſ.57. lib.3. Aymo.in conſuet.Aluern.& Oldrad.

Non igitur nouam hanc diſputationem dicere iure poſſumus,ſed benè à recentioris ſeculi Doctoribus in controuerſia poſitam, magis ſtudio contradicendi,(ad quod natura impellimur,) & vt Principibus ſolitam antiphonam canerent, quàm quòd ipſa rei veritas expoſceret. Atque ideo reperimus diſſentire aliquos à Boſſij vera ſententia, quā propoſuit in tit.de pœn. num.26. comprobata per virum doctiſſimum Nattā in conſ.659.& nouiſſimè per Excellentiſſimum Dominum Præſidem à Ponte, virum in feudorum præſertim materia conſumatiſſimū, vt illius indicant ſcripta, tùm publica, typis edita, tùm priuata,quę adhuc non ſine magno ſtudioſorum incommodo, & deſiderio reconduntur in ſuis quęſt. Laudim. quęſt.24. col.mihi 4 in impreſſione Veneta. nec ab eadem receſſiſſe videtur Dom. Præſes Teſſaurus, pater meus, in ſuis deciſionibus nouiter editis deciſio. 132.& deciſio.266. num. 6. referendo ſimpliciter dictum Boſſij,& Nattæ; & iſti qui diſſenſerunt, & contrarium in hac quęſtione ſcripſerunt, fuerunt relati in voce ab ipſo Domino Bagnaſacco, nempe Aymo.in conſuetud.Aluern. Cuius locum licet non retulerit, ſed in genere tantùm de auditu ab alijs depoſuerit, ego tamen reperio eum id annuere in dicto lib.tit.22. artic.19. nu.17. Franc. Maria de Plot. in additio. ad conſ.Lauden.conſi.36. & nouiſſimè Do.Pet.Sur. qui ex profeſſo pro fiſco Ducali Marchionatus Montisferrati conſuluit, dicto conſ. 152. lib.2. per totum. quos ſi non reperijſſet Dominus Bagnaſaccus, poſt ſua ſcripta, dicere poteramus, nimis in prudentia propria confiſum, (licet illa magna apud virum cōſumatiſſimum ſit) contra conſilium B.Hieronymi, in Parabolis, relatum in cap. ne innitaris, de conſtitut.

Mouentur iſti patres multis,quidem coloratis, & perſuaſiuis fundamentis; quorum præcipua in medium proferemus, præſertim ea, quæ per D.fiſci Patronum adducebantur, vt faciliùs ſingulis ſua reſponſio accommodetur.

Primum igitur fundamētum pro fiſco eſt, quod deſumitur ex illa vulgari, & magiſtrali diſtinctione, quam facit Bar.in l.Imperium,& alij ibi, poſt eum, ff.de iuriſdic.omnium iudi. conſtituendo duos gradus meri imperij, & mixti. Maximum ſcilicet, & magnum; relinquendo alios gradus pro nunc; ita vt ſi
11 Princeps inueſtiat Vaſallum † cū mero, & mixto imperio, intelligatur de magno, non de maximo, reſeruato in ipſa inueſtitura,per illam clauſulā conſuetam, *Saluis iuribus nobis ſpectantibus, ratione alti dominij, et ſuperioritatis.* quo fit, vt reſeruando ius ſuum Princeps, reſeruet omne ius, quod nō tranſmittit per inueſtituram in Vaſallum, quod eſt illud maximū merum, & maximum mixtum; quorum virtute, quò ad merum, animaduertit in facinoroſos homines, contra propriā perſonam delinquentes, vt in crimine lęſæ Maieſtatis,in primo capite, & contra edictorum ſuorum contrauentores, publicam vtilitatem,& vniuerſalem ſtatus ſui cōſeruationē reſpicientium; quò ad mixtum edicta facit particularia, ad priuatam ſingulorum vtilitatem,iuxta exempla ibi per Bart. propoſita, quorum primum, à maximo imperio Principis dependens, conuenit caſui noſtro, nempe quando Princeps facit legem generalē; vnde infert ipſe, ex hac diſtinctione, q cū Princeps habeat in habitu, & in actu

iſtud imperium maximũ merum, & ma-
ximum mixtum, poterit vtrũque in ter
ritorio Vaſalli exercere, ne inutilis, &
fruſtratoria reddatur ſua reſeruatio, &
cùm exerceat faciendo legem genera-
lem, poteſt contrauentores talium e-
dictorum punire, & venit in neceſſa-
rium conſequens mulctarum, & pœna-
rum impoſitio, & de delicto cognitio,
tanquam acceſſoria, & fructus illius
meri imperij reſeruati, de quo mero im-
perio non loquitur (inquit, poſt Iaſ. &
alios) l. imperium. quia iſta dicuntur
iura imperij, quæ per l. illam Regiam
in ipſum Imperatorem, fuerunt anti-
quitùs translata, & alij hæc iura rega-
lia vocãt, & cùm hæc ſint ſeparata, vti-
tur Vaſallus ſuo mero, & mixto impe-
rio, & eodem, ſed ſupremo, vtitur Prin-
ceps, in eodem territorio Vaſalli; & ex
hoc argumento infert ad duo, ꝙ poſſit
Princeps applicare pęnam fiſco ſuo; ſeu
Cameræ Ducali, & ꝙ poſſit particula-
res Conſeruatores, & Iudices deputare;
qui curam habeant ſpecialem edicto-
rum, vt obſeruentur, & contrauentores
puniant. & ad hanc diſtinctionem re-
ſpexit, in hac materia, Surd. dicto con-
ſil. 152. num. 20. & 27. & credo, vel Do.
Bagnaſaccum vidiſſe ſcripta Do. Surdi,
vel Surdum illa Do. Bagnaſacchi, quia
ſunt nimis concordes.

Secundò mouetur Dom. Aduocatus;
quia, propter inobſeruantiam edicti, &
illius contrauentionẽ, offenſa eſt maie-
ſtas Principis, & per cõſequens pęna eſt
applicanda ipſi Principi, in ſuæ iniuriæ
vltionem. cap. 1. §. pen. quæ fuit prima
cau. benef. amit. l. 2. §. emancipatus, ff. de
12 collat. bon. Nam licet † Princeps com-
municet vaſallo merum, & mixtum im
perium, cum pœnis, & mulctis, tamen
non cenſetur communicare pœnas, &
mulctas, prouenientes ex delictis, & of-
fenſis in Principem factis, citãs ad hoc
Oldr. in conſ. 148. Bal. in cap. 1. col. pen.
ver. formatur etiam, de Capita. qui cur.
vend. Præpoſ. ibidem, col. 8. circa fin.
verſ. formatur etiam. & Afflict. nu. 12.
Iacobin. in verbo, de caſtro. col. 2. verſ.
pone Princeps conceſſit. Natta conſil.
580. num. 7. Roland. à Valle conſ. 78.
lib. 2. & conſi. 73. nu. 13. & 14. lib. 4. &
propterea, inquit, neque ratione delicti,
neque ratione offenſæ poteſt, in caſu e-
dictorum, vaſallus cognoſcere, & puni-
re. Et ex iſtis infert Dominus meus Ad-
uocatus ad duas concluſiones: Prima,
vt idem ſit in pœnis Notariorum, fal-
ſum inſtrumentum ſcribentium, vt ſcili
cet pœnæ ſtatutorum, ſeu Decretorum
Ducalium illos punientium, ſpectent
Principi ſtatuenti, non vaſallis: Secun-
da, vt pęna temerè appellãtis fiſco Prin-
cipis ſpectet. & hanc pariter rationem
conſiderauit D. Surd. in d. conſ. nu. 16.
in primo fundamento ſuę concluſionis.

Tertium fundamentum elicimus ex
ſcriptis D. Surdi, in allegato conſ. 152.
num. 17. vbi pro fiſco hoc vtitur argu-
mento, ꝙ licet Princeps, per inueſtitu-
13 ram † abdicauerit à ſe iuriſdictionem,
nunquam tamen cenſetur tantam abdi
caſſe, quin maiorem ſibi retinuerit. cap.
dudum, §. nos igitur, de præb. lib. 6. in-
ferens ex eo, poſt Roland. Rip. Natt. &
Dom. Solam, per eum citatos, quòd iu-
riſdictio cenſetur conceſſa cumulatiuè
vaſallo, non priuatiuè; cui argumento
deſeruiunt ea, quæ ſcribit D. Bagnaſac-
cus in ſuo primo præmiſſo, inferendo
ex eo, quòd Dominus poteſt in ſubditos
vaſalli iuſdicere, tanquam in ſuos ſub-
ditos, ratione alti dominij, & ſuperio-
ritatis, vt per Nattam conſi. 487. num.
21. 22. & 33. & faciunt latè tradita per
D. Ozaſc. conſ. 3. nu. 10. & ſequentibus.

Quartò, mouetur D. Surdus eo dilẽ-
mate, quòd aut vaſallus non poteſt vti
edicto facto per Principẽ, aut vult vti:
& tunc, ſi vult vti, tenetur eò vti, cum
omnibus qualitatibus, & conditionibus
ibi contentis, & ſic permittere, vt pęna
applicetur fiſco Ducali, prout ſtatutum
dicere ſolet; quia, vtens aliqua diſpo-
ſitione, ſeu priuilegio, debet ea vti, cum
omni-

Digitized by Google

omnibus qualitatibus, l.vlt. §.& ſi præ-
fatam. & in §. ſin autem. C.de iure de-
liber.cum ſimilibus vulgatis.

Quintò, mouetur idem D. Surd. ꝙ
14 inueſtitura † facta cum bannis, mul-
ctis,& condemnationibus, debet intel-
ligi, de illis, quæ erant in eſſe tempore
conceſſionis,& ex delictis tunc exiſten-
tibus; quia de alijs futuris non cenſe-
tur Princeps cogitaſſe, vt per Bal. con-
ſil.321. lib.3. Præcipuè, inquit, ſtanti-
bus participijs, præſens tempus reſpi-
cientibus, nempe quando inueſtitura
dicit, *cum omnibus iuribus ad ipſum Do-
minum inueſtientem ſpectantibus, & per-
tinentibus.*

Sextò, ſumit idem Surdus argumen-
tum à crimine lęſæ maieſtatis ad caſum
noſtrum, vt ſicut in crimine lęſæ ma-
ieſtatis pęna applicatur Principi, licet
delictum ſit ibi cõmune, & à iure com-
muni punitum, ita & in iſto, vbi ſumus
in nouo delicto extra ius commune.

Septimò, mouetur idẽ Doctor, quia
in conceſſione iuriſdictionis, quæ fit va
15 ſallo, includuntur † ea ſola, quæ proue-
niunt ex ipſa re, non autem, quæ extra
rem ſunt. Aluarot. in c.1.§. ſi quis ali-
quem, circa fin. de pace tenenda. Brun.
conſi.31. Natta d.conſi.580. iſtæ autem
pœnæ non proueniunt ab illa iuriſdi-
ctione, & mero imperio conceſſo, ſed à
reſeruato; ergo ſpectare debent ad Prin
cipem, non ad vaſallum.

Octauò addi poſſunt ea, quæ voluit
Nat. in dicto conſ.580. in ſecundo du-
bio, vbi voluit, ꝙ ſi dominus directus
citet ſubditum vaſalli, qui ſit contu-
max, poſſit Princeps, in contumaciam,
bona illius confiſcare, ratione prędicta
iniurię: ergo idem videtur caſu iſto con
cludendum, vt ſupra dicebam in ſecun-
do fundamento. Atque hinc dicitur e-
mendam temerè appellantis fiſco Prin-
cipis ſpectare, vt ſcribit Do. Bagnaſac-
cus, & cenſuit Senatus, vt teſtatur Do-
minus pater meus deciſio. 250. vbi ali-
quot rationes ad hoc adducit.

ISTIS tamen omnibus, & ſimili-
bus, quæ adduci poſſent non obſtanti-
16 bus, contrarium de iure † verius eſſe
exiſtimo; vt immò ſpectet cognitio, &
mulcta vaſallo, non autem Principi ſu-
premo, prout tenuerunt Boſſ. & alij ſu-
pracitati, & ante eum ſenſit in ſimili
Oldr.conſ.17. Iaſ.conſ.57.lib.3. vbi lo-
quitur in pœna ſalnaguardiæ, quæ fuit
conceſſa à Principe ſuperiori, cujus con
ceſſio licet offenſa fuerit, tamen voluit
pęnam fiſco vaſalli applicandam eſſe,
& ita in terminis cenſuit Senatus, in
fauorem Comitum Valpergiæ, pro qui-
bus ego pro Aduocato in iſta diſputa-
tione præſentatus fui; de qua ſententia
meminit Illuſtriſſimus Dominus à Pon
te d.quæſt.24. & D. Pater meus d. de-
ciſ.132. Vinc.de Franc.deciſ.433.lib.2.
Et pro hac parte, vltra pręmiſſa à nobis
ſuperiùs poſita, faciunt octo fundamen
ta, quæ in propoſito pro vaſallis addu-
cit D.Surd. in d.conſ.152. quibus, licet
conatus fuerit reſpondere, præſertim
ſcriptis per Boſſ. Nattam, & D. Præſi-
dem: tamen illius reſponſiones non
poſſunt elidere,& tollere vim argumen
torum.

Et primò, non obſtant reſponſiones,
quas facit ad primum argumentum à
17 parte vaſallorum † propoſitum, ꝙ illi
habeant iura vtilia cum effectu, & ſic
omnes fructus à iuriſdictione proue-
nientes; reſpondendo primò, ex dictis
per Natt. in conſi. 580. num.14. quòd
illa regula procedit quando pœnæ de-
ſcendunt ex delicto cõmiſſo contra ius
commune, ſecus verò eſſe quando pro-
ueniunt ex delicto, cõtra ius commune
inducto, faciendo illicitum, quod aliàs
erat licitum. Nam multis modis repli-
care poſſumus. Primò illud locum ha-
bere poſſe, ſi iuriſdictio eſſet conceſſa in
priuilegiũ, & cumulatiuè, non autem
quando in contractum titulo oneroſo,
& priuatiuè vt hic; nam primo caſu ad-
mittitur concurſus, & præuentio, ſe-
cundo non, vt in fine primi noſtri præ-

miſſi demonſtrauimus; non enim video rationem concludentem, quare quando Princeps edicit, præter ius (vt melius dicam) & vult ſuum edictum valere in terra vaſalli; mandando etiam plerumque, vt fieri ſolet, omnibus ſubditis mediatis, & immediatis, vt illud obſeruent, & officialibus tam ſuis, quàm vaſallorum vt obſeruari facit; vaſallus nõ poſſit cognoſcere, quãdo ſubditus ſuus contrauenit huic edicto Domini ſupremi, & pœnam, ex eo delicto deſcendentem, ſibi applicare, cùm ſit inueſtitus de mero imperio, & omnimoda iuriſdictio. de quo mero imperio illud eſt, vt animaduertatur in facinoroſos homines, vt dicitur in l. Imperium. dicuntur autem facinoroſi, tam hi, qui contra legum ſcriptarum diſpoſitionem, quàm hi, qui contra illud Principis edictum delinquunt; &, ſi vaſallus gerit vices Principis, & illius perſonam repræſentat in loco ſibi infeudato, quare non poterit ſuper edicto Principis cognoſcere, qui legem nouam voluit proponere? & regula illa, quòd non poſſit Iudex cognoſcere quando confiſcatio inducitur ex ſpeciali aliqua diſpoſitione, nõ habebit ſimiliter locum in terris vaſallorum; quia, cùm ſint inueſtiti de omnimoda iuriſdictione, quæ priùs penes Principem inueſtientem reſidebat, habent facultatem generalem iuriſdicendi, tam in generalibus, quàm in ſpecialibus caſibus; Iudicis enim officium latiſſimum eſt. l. 1. ff. de iuriſdict. omnium iudic. Præterea dicere poſſumus, & replicare in eandem reſponſionem, quòd illa poſſet procedere in eo, qui delegatam habet iuriſdictionem, non in eo, qui habet ordinariam, vt eſt vaſallus, qui ob id cognoſcere debet generaliter ſuper omni crimine in territorio ſuo commiſſo, ſaltem ratione ſui imperij, iuxta l. 1. §. initio. ff. de officio præfec. vrb. & propterea bene reprehenſa fuit illa reſpõſio Nattæ per D. meum primum Præſidem, & limitata quando vaſallus habet omnimoda emolumenta à iuriſdictione prouenientia; cui non valet reſponſio, & replicatio eiuſdem D. Surdi, ſub num. 28. in fi. dicendo illum debere animaduertiſſe, quòd in condenda lege generali, interdicendo, quòd aliàs erat de iure communi licitum, vtitur Princeps ſua iuriſdictione reſeruata; quia reſpondeo benè fuiſſe ad hoc animaduerſum, ſed non officere, vt infra demonſtrabimus.

Minus obſtat ſecunda reſponſio Surdi, quòd illud fundamentum pro vaſallo adductum, non † militet quando offenſa eſt perſona domini, propter contrauentionem edicti; quia, vt infra latiùs dicemus, illud habet locum ſi offenſa eſt perſona domini principaliter; non ſi in conſequentiam, corrumpendo Album ipſius Principis; quia hęc longè diuerſa ſunt, & hoc caſu benè quadrat, quod dicit D. Præſes in dicta quæſtio. 24. poſt Nattam conſi. 119. num. 1. quòd ſatis habet vltionem ſuæ offenſæ, ſi à vaſallo, propter contrauentionem, puniatur; qui, cognoſcendo ſuper iſta contrauentione, exercet propriam, non reſeruatam iuriſdictionem; quia hoc delictum effectum eſt de iure communi, committendo in legem: quicquid enim Principi placuit legis habet vigorem, & ſicut vaſallus punit ſubditum, cõtra legem Iuſtiniani, & aliam in corpore iuris ſcriptam delinquentem, ita & poterit contra legem Principis ſui venientem punire, cum hæc parificentur. l. 1. & tot. tit. de conſtitut. Princ. qui tit. ob id à Triboniano, in partitione Digeſtorum ritè poſitus fuit poſt tit. de legibus. Et argumentum, quod facit D. Surdus hic, ab hoc delicto ad crimen læſæ Maieſtatis, reſpondendo ad rationem D. Præſidis, non militat, & à ſani, & recti iudicij Doctoribus non recipietur; quia hæc longè diuerſa ſunt, inter ſe; Nec verum eſt, quòd reſponſio Nattæ ſit contra cõmunem opinionem, quinimmò communis opinio eſt pro Natta, ſi benè

18 (margin, beside "vaſallo adductum, non † militet quando")

ſi benè ponderentur Doctorum ſcripta, diſtinguendo feudum ab allodio; & in hoc tam benè intellexit Nattā D. Surd. quantum D. Præſidis dicta, in hoc puncto, fuerunt intellecta a Domino Bagnaſacco, vt infra dicam.

Ad tertiam reſponſionem quam facit Surd. diſtinguendo imperium, & iuriſdictionem Principis ab illa vaſalli, replicatio adducitur ex reſponſionibus factis fundamentis Dom. fiſci Aduocati, de quibus infra.

Non obſtat reſponſio ad ſecundum fundamentum, in quo dicebatur vaſallum gerere vices Principis, in feudo, (quod nos comprobauimus ſupra in quarta concluſione) dum reſpondet, illud habere locum in iuriſdictione, & imperio conceſſis, & tranſmiſſibilibus, non in iuriſdictione, ſeu ſuperioritate reſeruata, & non tranſmiſſibili, vigore cuius legem condit generalem; Quia, & hic replicatio oritur ex his, quæ in reſponſione ad primum Do. Bagnaſacchi fundamentū dicemus, ne vt ille ait:

Occidat miſeros crambe repetita Magiſtros.

19 Nec aduerſatur, † quòd dicit ad tertium fundamentum, pro parte vaſallorum adductum, quod in concurſu vtilis dominij cum directo vtile præfertur; quod argumentum benè in propoſito firmat Natt. d. conſi. 119. num. 2. præſupponendo hic non eſſe concurſum, & conſequenter ceſſare regulam; Nam reſpondeo, primò, verum eſſe, quòd non eſt concurſus, quia Dominus ſe ſpoliauit iuriſdictione, quam non poteſt exercere in terra vaſalli, ipſo inuito, ne dicatur illum turbare in re conceſſa. Secundò, dato concurſum non eſſe, ſed vti hoc caſu dominum iuriſdictione reſeruata, dico non poſſe procedere ſi conſtaret de reſeruatione, in hoc caſu; ſed hic nulla eſt reſeruatio, faciendo id qđ vaſallus facere poſſet, etiam ſtatuendo præter ius; & non vtitur iuriſdictione reſeruata; quia non eſt verum, quòd hæc concernant altum dominium; & quatenus concernant, quando edictum eſt publicatum in terra vaſalli, iuriſdictio, ex contrauentione proueniens, confunditur cum iuriſdictione vaſallo conceſſa, procedendo ex ordinaria iuriſdictione quam habet; & ſic non poterit in iſto actu iuriſdictionis, & exercitio impediri, quia vtitur vaſallus iuriſdictione propria, non reſeruata; &, ſi benè ponderabitur hęc replicatio, remanebunt hac ſola replicatione reſoluta omnia ea, quæ in hac materia contra vaſallum adduci poſſent.

20 Non officit reſponſio † ad quartum fundamentum, quòd iuriſdictio ſit priuatiuè, quò ad Principem inueſtientem, in vaſallum translata. Dicendo, primò illam opinionem habere multos contradicentes. Secundò, illud procedere, quò ad ordinariam iuriſdictionē, non autem quò ad extraordinariam. Tertiò, quòd vaſalli tenētur vti edicto, cum ſuis qualitatibus. Quia ad primā replicatur, quòd licet illa opinio habeat ſuos Doctores, qui ſtudio contradicendi tenuerunt oppoſitum; tamen, vel illi non loquuntur in iuriſdictione vaſallitica, vel ſunt reprobādi tanquam falſam propoſitionem defendentes; & ſtat contra illos magis communis opinio, à qua in iudicando, & conſulendo non eſt recedendum; ſicut ab ea non recedit Senatus Excellētiſſimus, qui hoc iure vtitur, & ſemper vſus fuit. Ad ſecundam replicatur, non eſſe conſtituendam differentiam inter ſupremam, & ordinariam iuriſdictionem, quando agitur de perceptione fructus prouenientis ex iuriſdictione, qualis qualis illa ſit; omnis enim iuriſdictio venit à ſuprema iuriſdictione, ſicut à fonte, cuius, licet aliqua fuerit facta reſeruatio, non tamen fuit reſeruata vtilitas, immò illa vniuerſaliter in vaſallum tranſlata cenſetur, cùm ſe ſpoliauerit Princeps, per inueſtitutam; omni emolumento, à feudo, ſeu ratione feudi proueniente.

ueniente. Et ideò dicitur, quòd ratione vtilis dominij dominus directus nō habet titulum, nec poſſeſſionem, vt per Beroum conſi. 67. nume. 71. lib. 1. Ad tertiam reſponſionem patebit replicatio ex reſponſionibus, quas faciam ad quartum fundamentum, ab eodem Doctore pro parte fiſci adductum.

21 Non obſtat reſponſio, quam † idem Doctor facit ad quintū fundamentum; quia eſt penitùs falſa propoſitio, quam facit, quòd conceſſio Principis non extendatur ad futura; quia hoc eſſet contra naturā beneficij, quale eſt feudum. capit. 1. in quibus cauſis feudum amittatur, quod latiſſimam debet habere interpretationem, l. beneficium, ff. de conſtitutio. Principum. Et iſtius reſponſionis reſolutio dependet ab his, quæ in alijs reſponſionibus infra dicemus; &, ex eiſdem, reſpondebitur ad ea, quæ Do. Surdus contra ſextum fundamentum, pro impugnandis rationibus Boſſij, Nattæ, & Dom. Præſidis adducit.

Euacuatis igitur reſponſionibus prædicti Doctoris; remanent ſolida, & firma argumenta in fauorem vaſallorum per ipſum adducta; quibus addi aliqua non contemnenda poſſunt, pro ſuſtinenda Boſſij, & aliorum ſententia. Pri-

22 mò, † tex. in §. illud, l. Imperialem, de prohibita feudi alienat. per Fridericum, quem clarum, & rotundum dicit Natta dicto conſil. 119. nume. 1. & conſi. 600. num. 25. poſt Romanum in l. ſi finita, §. ſi de vectigalibus, de damno infecto. vbi, licet fiat iniuria principaliter Principi, pœna tamen applicatur vaſallo, & ibi non conſideratur vlsio propriæ iniuriæ, in damnum inueſtiti, qui feudum delinquenti conceſſerat, quod & in noſtro caſu dicendum eſt, vt ſcilicet poſſit exercere iuriſdictionem (ſi quam habet Dominus ab alto ſuo imperio, & dominio dependentem,) ſed non in præiudicium vaſalli, cui de feudo inueſtitura cum emolumentis, & obuentionibus facta fuit.

23 Secundò, facit in fauorem † vaſallorum text. ſatis, meo iudicio, clarus, & apertus, per quem reſoluitur quæſtio, ſeu controuerſia mota in nouo edicto prohibitiuo extractionis grani, in c. 1. §. poſt natalem, de pace tenen. vbi Imperator mandat, quòd ſingulo anno, poſt feſtum Natalis Beatæ Mariæ, debeat fieri proclama, pœna appoſita, ne quis vendat granum, contra æſtimationem tunc fiendam, ſub pœna viginti librarum, pro ſingulo modio, quam pœnam mādat Imperator applicari vaſallo, non autem ſibi, in illis verbis, *& totidem viginti libras Comiti exoluat*, verbum enim Comiti, ibi capiendum eſt pro vaſallo, qui de Comitatu erat inueſtitus; vaſallus enim, in feudo, dicitur iudex ordinarius, & perpetuus; in eoque differt ab alio iudice; quia ipſe habet iuriſdictionem infeudatā in perpetuum, & tranſmiſſibilē ad poſteros, cum perceptione emolumentorum, iudex verò eſt reuocabilis, & ad tempus, & propterea dici ſolet vaſallum, ſi velit, poſſe in feudo iudicare, vt cēſuit aliàs Excellentiſſimus Senatus, & ſcribitur in deciſio. Do. Patris mei 268. num. 3. Comi-

24 tatus † enim, apud Longobardos, accipiebatur pro territorio, in quo ius dicebatur, cuius rei elegans teſtimonium nobis reddit Otho Friſingēſis, in lib. 2. de geſtis Friderici, cap. 12. illis verbis: *Ex quo fit* (inquit) *vt tota illa terra, intra ciuitates firmè diuiſa, ſingula ad commanendum ſe, cum diœceſanos compulerint; conſueuerunt autem ſinguli, ſingula territoria ex hac commanendi poteſtate, Comitatus ſuos appellare.* & Sigon. de regno Ital. lib. 4. *Ducatum Foroiulienſem* (inquit) *regno attribuit, & Comitibus ſingulas ciuitates adminiſtrandas dedit.* Atque hinc, qui liberam ciuitatem ab Imperatore, vel Principe obtinebat, Comes dicebatur, veluti de Comitatu inueſtitus, in tit. feud. quis dicatur Dux. & eſt animaduertendum, quòd ibi in tex. dicti §. poſt natalem, in fi. Imperator

tor declarat contrauenientes publicæ pacis violatores,& ſic ſui edicti,de quo in eo. tit. de pace tenen.& tamen pœna applicatur vaſallo.

25 Tertiò, videtur pro hac † parte textus notabilis, & ſingularis in l. prima, C.de offi. præfec.vrbis. vbi, licet ſuper re annonaria conſtitutus fuiſſet ſpecialis iudex ab Imperatoribus Valente, & Valentiniano, ad exemplum cuius deputari ſolent, ad conſeruationem iſtorum edictorum, particulares Conſeruatores per Principes noſtros; tamen ſanctè reſcripſerunt prædicti Imperatores,noluiſſe per illam particularẽ deputationem derogare iuriſdictioni Præfecti Vrbis, cuius iuriſdictio erat vniuerſalis; ex quo tex. ibi notant Salic.& Fulgoſ. quòd, licet deputatus fuerit ſuper aliqua re ſpecialis Iudex, nõ tamen tollitur generalis iuriſdictio, quam habet iudex ordinarius. Prout in ſimili, per ſimilem edictorum publicationem non cenſetur derogare Princeps vtilitatibus,& emolumentis vaſallorum,à iuriſdictione illis conceſſa prouenientibus, ſed illa cenſetur ſemper reſeruata. in quam rem multa iura adducũtur per Rom.in conſi.393.nempe l.fin.C.de iuriſdic.omn.iud.l.viri.ff.de offic.præfec. vrb. l.vlt.C.vbi cau.fiſc. c.ſuper hoc.de hæret.in 6. c.vt debitus,de appell. c.irrefragabili. §.exceſſus,de offic.ordinar. quibus in locis habetur, per ſpecialem vnius Iudicis deputationem non tolli iuriſdictionem Iudici ordinario, quia & ipſe illam in priuilegiatas perſonas exerceat.

Quartò,nos habemus pro hac parte, in patria iſta, legem expreſſam in fauo-
26 rem † vaſallorum, quòd pœnæ, & mulctæ prouenientes ex edictis, & Decretis generalibus, etiam facientibus de non delicto delictum, & præter ius, ad publicam vtilitatem conditis, & promulgatis, qualia ſunt omnia Decreta antiqua Illuſtriſſimi quõdam Amedei, illæ ſpectare debeant Baronibus, in eorum territorio. Et primò, in libro tertio Decretorum,cap.1.in fine, quòd fuit lectum,& ponderatum pro parte vaſallorum,præcipuè ſuper verbo, *relinquentur*, heriна die,per præſtantiſſimum Dominum Bernardinum Clericum,in ſua diſputatione,viua uoce facta: cui addo ſimilem tex.lib.5. tit.quòd Marchiones, Comites,Barones,&c.incipiente, *Vt omnes honores debiti ſeruentur, etc.* quem text.pondero. Primò,dum poſitus fuit ſub tit. de pœnis tranſgreſſorum ſtatutorum. Secundò, in illis primis verbis, *Vt omnes honores debiti ſeruentur*, dum ibi ſanctus ille,& iuſtitiæ zelantiſſimus Princeps voluit iuriſdictionem vaſallis ſpectantem reſeruatam cenſeri, nõ obſtantibus ſuis edictis, & decretis generalibus;ne vaſalli ſua priuarentur iuriſdictione,& emolumento,iuxta l.fin. in princ. C.quando prouoc.non eſt neceſ. cap.vt debitus,de appell. Quam piam, & religioſam illius diuini Principis,nõ immeritò in Pontificem Summum electi, mentem ſequuti ſunt ſemper reliqui Sereniſſimi Sabaudiæ Duces, in eorum condendis edictis, quibus mandabant vaſallis,& illorum officiarijs,vt in edictis contenta curarent obſeruari;eãdemq; habere credimus Inuictiſſimum & Sacratiſſimum Principem noſtrum, cuius munificẽtia, & Regia liberalitas, non ſuis, ſed etiam exteris populis nota,tam magna eſt,& diffuſa,vt facilè ſibi perſuadeant vaſalli huius patriæ, & pro certo habeant,ſuper hac re,& quæſtione,re cognita,non perſtiturum,ſed cuique debitũ honorem, & ius ceſſum conſeruaturum, immò, & vtilitatis (ſi quæ ad illũ pertineret) liberaliſſimum elargitorem futurum:poteſt enim gaudere, & lætari ſe habere in ſtatu ſuo vaſallos deuotiſſimos,& obſequẽtiſſimos, qui omni conatu,& ſtudio,honorem,& amplitudinem ſui Principis quærunt,& ambiunt (prout debent) & in caſibus, in quibus ad caualcatas,ſeu exercitum, tam honoris, quàm belli cauſa fuerunt

conuo-

conuocati, non ſolùm parati ſecundum vires, ſed etiam vltrà, & præter vires, & fructus ſuorum bonorum, tam feudalium, quàm allodialium acceſſerunt; &, ſi habent ipſi iſta emolumenta, & fructus iuriſdictionis, vt debita præſtent ſuo tempore ſeruitia, non ſunt in iſta perceptione per indirectum, ad perſuaſionem aliquorum, qui priuatam magis, quàm publicam vtilitatem reſpiciunt, & honori, dignitati, ac exiſtimationi Sereniſs. Ducis noſtri magis detrahunt, quàm attribuant, fraudandi, ſed in ea manutenendi, & conſeruandi; & hoc Excellentiſſimum Senatum reſcripturũ Principi ſperamus; cuius partes ſunt, non ſolùm iura Principis, ſed & illius famam, & exiſtimationẽ tueri, & conſeruare, & qui ſæpiſſimè in fauorem Vaſallorum in caſibus ſimilium generalium edictorum, cenſuit, & decreuit, vel ad inſtantiam fiſci, vel vaſallorum.

Reſtat nunc vt argumentis contrariæ partis, per Dominum Aduocatum Bagnaſaccum, & Dominũ Surdum adductis reſpondeamus. Et primum quidem non obſtat, præſupponendo illos gradus maximi imperij meri, & maximi mixti: Nam iſta diſtinctio, licet fre-

27 quẽtiori calculo † recepta, nullibi probatur; cùm I.C. duos tantum gradus imperij ſtatuerit; merum, & mixtum, in l. Imperiũ. quos gradus in vaſallũ transfert per inueſtituram Princeps, ſicuti in magiſtratum trãsferri poterat antiquitùs, ſed iuriſdictionis aliquid plus trãsfert, cùm omnimodam concedat: Maximum autem illud imperium merum non reperimus in iure ciuili deſcriptũ; niſi dicamus illud eſſe, quod ſumma poteſtas dicebatur, quæ penes Dictatores erat tantùm: de qua Aurelius, & Pomponius meminerũt, in l. vnica, ff. de off. præfec. prẽto. & in l. 2. §. itaque Dictatores. ff. de orig. iur. & in feudis altum dominium, & directum dici ſolet; virtute cuius vtitur imperio, & iuriſdictione; ſed illis nunquã vtetur in præiudicium iuris vaſallo ſpectantis; Imperio vtitur, eoque ſemper mero, quod continet illud mixtum, quando imperat omnibus generaliter, & ipſis vaſallis, animaduertendo inter ipſos vaſallos delinquentes, condendo legem generalem, indicendo generalem collectam, & ſubſidium; quod facere poſſe, etiam in terris vaſallorum, non negamus (quicquid alij ſcripſerint) militiam cõuocare, notarios creare, ſpurios legitimare, gabellas, & noua pedagia imponere, & ſimilia facere, quæ ad ius Regium ſpectant, & pertinent; & quæ per ſimplicem meri, & mixti imperij, ac omnimodę iuriſdictionis conceſſionem non transferuntur, ſed in ſignum ſupremi dominij reſeruata cenſentur; & ea ſub illa reſeruatione ſuperioritatis, & alti dominij cõtinentur. Sed, data etiam illa diſtinctione Bart. & communi, (quia communis error facit ius) non inde rectè inferri poteſt Principẽ ſub generali edicto comprehendere ius vaſalli, & priuare illum, ea occaſione, ſua iuriſdictione, & emo-

28 lumentis. Nam † eo caſu generaliter diſtinguendum eſt, quòd, aut Princeps edicit ſecundum ius, & facit id quod poſſet ipſe vaſallus in feudo facere, & tunc fatendum eſt illum non vti iuriſdictione reſeruata, ſed vti mero, & mixto imperio, quòd habet vaſallus; & eo caſu ideò, quia concurrit cum iuriſdictione, & imperio in vaſallum transmiſſis, non poterit vti hoc edicto, in terra ipſius vaſalli, ſed tantum in locis ſibi immediatè ſubiectis, quia vaſallus eſt inueſtitus priuatiuè, quò ad ipſum inueſtientem; & quatenùs vaſallus recipiat edictum Principis, (quòd facere ſolent ob reuerentiam vaſalli Principis noſtri,) tunc ipſi indiſtinctè de cõtrauentione cognoſcent; & pęnas ſibi applicabunt, cum facultate eaſdem augendi, vel minuendi; & eo pariter in caſu non poterit præiudicare vaſallis particularis Conſeruatorum, & iudicum cõſtitutio; propter ea,

quæ

quæ in concluſionibus ab initio propoſitis dicta ſunt. Aut verò edicit contra, vel præter ius, ad generalē, & publicam ſui ſtatus vtilitatem, & hoc caſu ſubdiſtinguo, aut Principis edictum concernit ea, quæ de iure regio ſunt, & non comprehenſa ſub diſpoſitione iuris cōmunis, & tunc benè vtitur imperio reſeruato, & concurrit cū vaſallo in exercitio iuriſdictionis, & eo caſu, admittitur, vt habeat locum præuentio; ſed quò ad pœnas cōtrauenientium dicere poſſumus illas applicari vaſallo, quando delictum eſt commiſſum in ſuo territorio, & à ſuo ſubdito, in eodem territorio; cùm nouum non ſit, vt vnus cognoſcat, & alter percipiat emolumenta, vt dicit Oldrad. conſi. 17. Maſuer. in ſua praxi, titu. de pœn. num. 16. quem ſequitur Boer. deciſ. 264. num. 7. Ozaſc. poſt Brun. deciſ. 29. nu. 9. & in iſto caſu poſſet procedere contraria opinio; ponendo exemplum ſi edicta concernant Gabellam ſalis, & generaliter ea, quæ de Demanio, & patrimonio Principis ſūt; quo caſu benè aliquando vidi diuiſas compoſitiones ſuper iſtis criminib. factas, & pœnas in eiſdem edictis cōtentas; non enim poſſet prohiberi vaſallis vti exercitio ſuæ iuriſdictionis puniendo contrauentores; & quando ipſe cognoſcet, in iſtis caſibus, poterit ſine difficultate emolumenta percipere, tanquam vtilitatem, ab illo vtili dominio, de quo inueſtitus eſt, prouenientem; & ita in hanc vſque diem vidi practicatū in omnibus edictis generalibus, etiam facientibus de non delicto delictum, & hoc eſt quod voluit, & benè, Do. Preſes in d. quæſt. 24. ſi benè ponderētur illius ſcripta; & in hoc pariter caſu poſſunt deputari Conſeruatores particulares, & Iudices, vt fieri ſolet, qui concurrent quidem cum vaſallis, ſed non priuatiuè quò ad ipſos, vt ſcribitur in d. l. 1. C. de offic. præfec. vrb. & latè conſuluit Dec. conſ. 3. per totum, & hic benè admitti poteſt, iuriſdictionem eſſe non priuatiuè, ſed accumulatiuè, per inueſtituram, conceſſam. Et ad confirmationem prædictorum adduco rationem, & vnā inſtantiam; Ratio deſumitur ex tenore conceſſionis feudi, per quam transfertur vtile dominium in Vaſallum, & directum penes concedentem reſeruatur: Nunc, edicendo Princeps circa regalia, edicit virtute ſupremi dominij contenti ſub illo directo reſeruato, & in hoc præcipit ipſis vaſallis, & eorum ſubditis vniuerſaliter, vti vniuerſalis Dominus. l. deprecatio. ad l. Rhod. de iactu. & exercere poterit iuriſdictionem in imperio reſeruato contentam, cùm iuriſdictio ſine imperio nulla ſit. l. 1. de officio eius, & l. Imperium. ff. de iuriſdict. ſed, cùm vtile dominiū ſit in vaſallū tranſlatum, habebit vtilitatem vaſallus omnimodam, etiā à directo dominio proficiſcentem, quia hæc ſunt diuidua; &, licet primum non ſit tranſmiſſibile, alterum tamen tranſmittitur; & propterea non malè dicimus, etiā iſtis in caſibus, emolumentum ſpectare vaſallo. Inſtantiam autem vnam, do, vt quando Dominus ſupremus cognoſcit in cauſis appellationū, quo caſu vtitur iuriſdictione reſeruata; & tamen hoc caſu, licet emolumentum proueniat ex ſententia confirmante, non ex cōfirmata, tamen illud vaſallo competit; & ſi admitteremus concluſionem D. Bagnaſacci, quòd quicquid venit, & proficiſcitur à iuriſdictione reſeruata ſpectet Domino, cuius eſt iuriſdictio, tanquam acceſſoriū, diceremus hoc caſu Domino ſpectare emolumentum, ſed conſequens eſt falſum, ergò & antecedens; & idem dicere poſſemus, eo in caſu quando confirmantur ſententiæ capitales, & pœnam ſanguinis exigentes, quibus annexa eſt bonorum confiſcatio, quæ ab officiarijs vaſallorum proferuntur, vt illis confirmatis ſpectaret confiſcatio fiſco magiſtratus confirmantis; quod tamen non eſt iuris, nec obſeruatū hactenus vidi. Et propterea benè dicit Maſuer. in ſu-

pradicto loco, quòd confiſcationes, in caſibus non priuilegiatis, ſpectant vaſallo, etiam quòd Iudex Principis de cauſa cognouerit, & pronunciauerit.

Aut verò (redeundo ad diſtinctionẽ noſtram) Principis edictum non concernit regalia, vel ea quidem, ſed comprehenſa ſub iure communi, & tunc; quia, in primo caſu non dicitur vti iuriſdictione reſeruata, vel maximo mero imperio, ſed ordinaria iuriſdictione tranſmiſſibili; & in ſecundo edicit, circa ea quę ſunt in diſpoſitione iuris, circa quæ non eſt difficultas, quin vaſallus cognoſcat; dicendum eſt edictum non præiudicare iuriſdictioni Vaſalli, & Principem non poſſe concurrere, nec deputare particulares Iudices, qui cognoſcant in territorio vaſalli, prout infra latiùs probabitur.

Hinc igitur, ſtante veritate ſupraſcriptorum, corruit totum fundamentum, quòd prima facie ſubtile, & ſtringens videbatur: nam in eo inſpicitur ineſſe maxima fallacia, & error euidens, dum præſupponit, quòd ſemper, edicendo Princeps generaliter ad vtilitatẽ publicam, vtatur maximo imperio mero reſeruato: quia hoc reperitur falſum, quando edicit circa ea, circa quæ vaſallus haberet facultatem edicendi, & tunc, licet admittatur edictum: tamẽ edicit ex mero imperio trãſmiſſibili, & in vaſallum per inueſtituram translato, & quò ad pœnas dependentes, illas Vaſallo ſpectare certum eſt, & indubitatum, vt diximus, & probabimus infra; & conſequenter remanent ſublatæ duæ illationes, quas faciebat ex ſupracitato fundamento, præſertim illa quòd poſſit applicare pœnas ſuo fiſco; quia illud eſt falſiſſimum, in præiudicium iuris vaſallo competentis.

Non obſtat ſecundum fundamẽtum Dom. Bagnaſacci, quòd pœna applicanda ſit Principi, in ſuæ iniuriæ vltionem;
29 quia reſpondetur illud † verum eſſe, quando offenditur principaliter perſona Principis, vt in crimine lęſæ maieſtatis, quo caſu eſt ſpeciale, in odium criminis, vt pœna applicetur Domino offenſo, in ſuæ iniurię vltionem, & ita loquitur, & intelligendus eſt tex. in §. denique. & ſcripta Doctorum ibi; ſecus eſt vbi in conſequentiam offenditur Dominus contraueniendo edicto: nã aliàs, poteſt Vaſallus prætendere pœnas, & mulctas, ex quocunque delicto à iure communi prohibito prouenientes; quia qui in legem committit violat ius Principis, & offendit illius perſonam ſecundariò, & vtraque lex eſt à conſeruatione pacis, & vtilitatis publicæ depẽdens, cuius tranſgreſſor offendit perſonam Principis; & idem dicendum eſſet de pœnis. Dec[illegible]rum, contra quam per ipſum ſtatuentem fuerit in illis declaratum, vt ſupra oſtendimus; & hoc non admiſſo priuarentur per indirectũ vaſalli ſua iuriſdictione, & emolumentis.

Nec officit dictum Oldra. conſ. 148. & aliorum ſequacium; quia illius dictum procedit in caſu ſuo, vbi Caſtellano debetur quarta pars obuentionũ, pro ſuo labore, vt ſolet per fiſci procuratores practicari; ſed hic debetur vaſallo, pro fructu ſuæ iuriſdictionis; & ſi benè conſiderentur verba Oldradi, faciunt in fauorem Vaſalli, per rationes per eum allegatas. Ad illationes autem, quas facit Dom. Bagnaſaccus, reſponſio patebit ex ſeqq.

Ad tertium fundamentum, quod facit D. Surd. in dicto conſ. 152. Quòd maior iuriſdictio cenſeatur ſemper reſer-
30 uata: Reſpondetur, † quòd illud habet locum in priuilegijs, & gratijs reuocabilibus, vt in beneficijs, in quibus dicitur, quòd Papa cũ omni ordinario concurrit; & ita loquitur text. in d. c. dudũ. ſecus in iuriſdictione infeudata, in qua non datur concurſus, neque preuentio, ut ſupra dixi, & plenè not. Curt. iunior conſ. 2. per totum, ubi notat plures caſus, in quibus non datur cõcurſus, inter Dominum, & Vaſallum. Et propterea dicere

dicere poſſumus, quòd hic non ſumus
in dubio, an voluerit ſe priuare Domi-
nus in torum, vel non, ſed ſumus in cla
ris; quia, alium inueſtiendo, ſe vtili do-
minio priuauit; & ita expreſsè reſpon-
det Rolan. conſ. 21. nu. 18. in fi. lib. 4. &
conſi. 48. num. 25. lib. 2. vbi dicit, quòd
hęc regula non procedit in inueſtituris
feudorum, poſt Abb. & alios, quos ſu-
pra citauimus. Brun. conſ. 47. col. 2. &
opinio Nattæ in conſi. 487. & Gramm.
voto 28. quatenus volunt Dominum
poſſe in ſubditos iuſdicere, eſt falſum,
quoties per iuriſdictionis exercitium,
inferretur vaſallo præiudiciũ, & eſt con
tra cõmunem, vt patet ex dictis in pri-
ma concluſione, & ex ſcriptis per Rol.
d. conſ. 48. num. 40.

Non officit quartum argumentum,
quòd quatenus velit vti vaſallus edicto
Domini, debet vti cum ſuis qualitati-
bus, vnde cùm in eo applicetur pœna
contrauenientium fiſco, ſeu Cameræ
Ducali, quatenus velit cognoſcere, pœ-
na applicabitur fiſco Domini. Quia re-
31 ſpondetur † vti poſſe vaſallum eo edi-
cto, & cognoſcere, ſine qualitatum ac-
ceptatione; quia illæ qualitates non re-
ſpiciunt perſonas vaſallorum; quorum
fauore interpretatio fit, vt clauſula illa,
ſub pœna fiſco applicanda, habeat locum
in terris immediatè, non mediatè ſubie
ctis, vt dicit Dominus Præſes. d. q. 24.
col. 4. verſ. & licet ex edicto. poſt Iaſon.
conſ. 57. circa fin. lib. 3. dicens ita fuiſſe
iudicatum per Senatum Excellentiſſi-
mum, de anno 1571. in prædicta cauſa
Dominorum Valpergiæ, & Molli, quæ
ſententia fecit ius, ſaltem in fauorem
Illuſtriũ Comitum Valpergiæ, qui ſunt
in pacifica poſſeſſione talia exigendi; &
hoc videtur in patria iſta expeditum,
ſtante diſpoſitione antiqui Decreti, de
qua ſupra, & idem voluit Natta conſi.
346. num. 2. & conſ. 580. num. 7. & con-
ſil. 341. Surd. conſi. 53. num. 3. Pro qua
re, vltra ea, quæ dicit Natt. poteſt alle-
gari, quòd quando Princeps dicit *ſub-
diti noſtri*, vel *terra noſtra*, aut *fiſcus no-
ſter*, intelligitur etiam de fiſco vaſalli,
ita vt pœnæ ipſi vaſallo applicentur; di-
cuntur enim ſubditus, terra, & fiſcus
vaſalli eſſe Principis, quò ad proprieta-
tem, & maius dominium. Felin. in cap.
quæ in eccleſiarum, col. 10. verſ. prima
declaratio. poſt Archid. ibi relatum, de
conſtitut. Ideo rectè potuit dicere *no-
ſter*, per ea, quæ in his terminis dicit Ca
ſtren. conſ. 368. præſuppoſito, quòd pre-
fatum. lib. 2. quem ſequitur Roland. di-
cto conſ. 21. nu. 24. in fi. lib. 4. non enim
eſt intelligenda illa dictio *noſter*, à Prin
cipe prolata, vt auferat vtile ius vaſalli,
cùm verba in dubio intelligi debeant,
immò etiã impropriari, ne tertio dam-
num indebitè inferant: eſt enim fiſcus
vaſalli ſubrogatus in locum fiſci Prin-
cipis, & Domini directi, & percipit fru
ctus ad fiſcum Domini aliàs ſpectãtes,
ex regula ſubrogatorũ, l. ſi eum. §. qui.
ff. ſi quis cautio. Barto. in l. 2. §. æquiſſi-
mum, ff. ad Trebell.

32 Quintum verò argumentũ † eſt om
ninò reprehendendum; quia nemo du-
bitat, quin iuriſdictio vaſallo conceſſa
porrigatur ad futura, aliàs ſequeretur,
quòd in illo crimine poſſet vaſallus co
gnoſcere, quæ contingunt cõmitti per
ſubditos, poſt inueſtituram; & illa par-
ticipia debent intelligi de iure ſuperio-
ritatis, non de iure vtili conceſſo, & in
vaſallũ tranſlato. & faciunt ſcripta per
Caſt. in allegato conſ. 353. lib. 1. vbi vo-
luit, quòd augmentum, poſt inueſtitu-
ram proueniens, lucro cedat vaſalli. &
de ſalinis conſ. 63. quòd dicti redditus,
lib. 1. etiam quòd ſint regalia, vt per eũ.
& quod dicit Natt. conſi. 659. num. 7.
volens cõcluſionem noſtram procede-
re, etiam ſi Princeps, in ſuo edicto, au-
geat pœnam, quæ aliàs lege communi,
vel à ſtatuto, aut antiquis Principũ De-
cretis imponebatur; & hoc eſſe ſine dif-
ficultate dicit Natt. poſt Angel. in l. ſi
ſeruitus, col. 3. verſ. conclude. de ſeruit.
vrban. Salic. in l. non modus, in fi. C. de

ſeruit. Boſſ. dicto titu. de pœn. num. 25. idem enim iudicamus de augmento, quod de principali; & cùm ſimus in beneficio Principis, quod latiſſimam habet interpretationem, vt ſupra dicebamus, res mihi videtur carere omni diffi cultate. Immò veniunt in conceſſione vaſallo facta, etiam confiſcationes adiudicatæ, ante infeudationem. Crauet. conſ. 128. num. 5. poſt Bald. conſi. 306. & 319. lib. 3. Præterea, quando aliquid conceditur per verba vniuerſalia, qualia ſunt illa, *Merum & mixtum imperium, & omnimodam iuriſdictionem*, quæ ſub ſe collectiuè comprehendunt plures gradus pęnarum, & multas ſpecies delictorum, tunc ſub huiuſmodi conceſſione veniunt futura, vt in propoſito dicit Natt. d. conſ. 659. num. 6.

33 Ad ſextum † argumentum patet reſponſio, ex his, quæ diximus ad ſecundum fundamentum: non eſt enim bona argumentatio à crimine læſæ maieſtatis ad caſum noſtrum: quia, licet illud delictum à iure cõmuni proficiſcatur, tamen ibi eſt ſpeciale in odium criminis, tam grauis, & atrociter perpetrati; multa enim alia ſpecialia habet huius criminis pœna, & perſecutio: vnde, licet de iure communi pœna tenere debeat ſuos authores, tamen non ſolùm ipſe delinquens, ſed etiam filij in amiſſione bonorum plectuntur. l. quiſquis, §. filij; C. ad l. Iul. maieſta. & cùm, de iure feudorum, feudum, in alio delicto, quod antiquum eſt, deuoluatur ad filios vel agnatos, tamen in crimine læſæ maieſtatis ſpectat domino, illis excluſis, in ſuæ iniuriç vltorem, §. denique, tit. quæ fuit prima cau. benefic. amitt. & hoc dicitur crimen priuilegiatum.

34 Non refragantur ea, quæ † in ſeptimo partis aduerſæ fundamento proponuntur, quòd non ſpectent vaſallo ea, quæ extra rem ſibi conceſſam proficiſcuntur, cùm pœnæ iſtæ veniant, & deſcendant à mero imperio reſeruato. Quia negatur primò hæc ſemper profiſciſci à mero imperio reſeruato, niſi in caſibus ſuper quibus vaſallus edicere, vel ſtatuere non poſſit. Secundò, quatenus aliquæ dependeant ab illo imperio reſeruato, ſpectat tamen vaſallo emolumentum, ratione vtilis dominij, de quo eſt inueſtitus, priuatiuè quò ad Dominum inueſtientem, & non admittitur, quòd illæ proueniant extra rem, quia cùm edictum eſt publicatũ in terra vaſalli, & ſubditus in eiuſdem territorio contraueniendo delinquit, dicitur cognoſci in re, & non extra rem; quia, licet ſit offenſa perſona Principis, propter contrauentionem, tamen eſt etiam offenſa perſona vaſalli, qui vices Principis in feudo ſuſtinet; & propterea, cùm in ſuo territorio ipſe dicatur offenſus, pęnæ, & mulctæ, à re ſua, hoc eſt à delicto per ſubditum perpetrato, qui ſuus eſt homo, proficiſcentes, ad eũ ſpectabunt. Præterea, illud quod dicit Natt. in conſ. 580. num. 14. poſt Iſern. in tit. de pace tenen § hæreditatem intelligendum eſt, prout ibi ad Iſer. exemplificat Neapodan. litera C. ſi ſubditus vaſalli delinquens habeat prædia, vel iura aliqua extra fines, vel territorium Caſtri vaſalli; tunc enim illud dicitur eſſe extra rem, non quãdo tractatur de imponenda pęna vaſalli, qui in territorio deliquit, & bona in eodem territorio habet, tunc enim emolumentũ non eſt extra rem, ſed in re inueſtita; & ita videtur ſenſiſſe Natt. qui, cõtra morem ſuum, in hoc videtur ſibi contrarius, in conſi. 319. num. 1.

Minus obſtat vltimũ fundamentum, de quo per Natt. in d. conſi. 580. quòd

35 pœna ſubditi † contumacis ſpectet fiſco citantis, & ſic etiam emenda temerè appellãtis: quia illud eſt ſpeciale ibi propter offenſam, quæ fit principaliter domino citanti, & cuius aures offenſæ ſunt, ex temeraria appellatione; quilibet enim iudex poteſt, & debet ſuã iuriſdictionem, etiam pęnali iudicio tueri, l. 1. & toto titu. ff. ſi quis iuſdic. non obtemp.

obtemp.& tit.ſi quis in ius voc.non ier. Innoc.in cap.1.de off.deleg. l.ſi quis ex aliena.ff. de iudic. Benedic.in cap.Raynutius,num.47.& in verbo,& vxorem, num.411. Panor. in cap. ſuper litteris, num.10.verſic.ſextus caſus,de reſcript. Bernard.Lauren. in tract.de poteſta.ſecul.ſuper eccleſ.num.14. Pet.Bellug.in Spec.Princip. rubr.18. de occupat.temporal.num.17. Mari.Frecc. in lib.2. de author.& poteſt.Baro.author.46.nu.2. Immò,& hoc caſu, ſi contingeret bona publicari, crederem illa vaſallo applicanda eſſe,non domino, quãdo non ſumus in primo capite læſæ Maieſtatis;
36 quia vaſallus † inueſtitus de mero imperio eſt inueſtitus de conſiſcationibus bonorum in ſuo territorio poſitorum contingentibus. Iacobin.in verbo,cum mero,& mixto imperio,num.8. per gl. in l.vnica,C.ne ſine iuſſu Princip. & ita in crimine læſæ Maieſtatis, etiã in primo capite,vidi conſultum per Dominũ Ozaſc. in reſponſo edito pro Dominis Guarenæ, aſſerens ita per Senatum iudicatum, in cauſa Gotrini. Et re vera bona non ſunt à vaſallo de territorio inueſtito auferenda. Crauet. conſi.128. nu.4. Ang.in d.l.1.C.ne ſine iuſſ.Princ.

Ex iſtis remanent ſublata,& euacuata omnia fundamenta per aduerſarios
37 adducta. Neque † mouent authoritates nouiter per D. meum fiſci Aduocatum adductæ; quia Aymo.in conſuetu. Aluern.loquitur ſine lege, & fundamẽto,ac incidenter,& nihil allegat:immò dicit,in iſto caſu,eſſe ſtandum obſeruãtiæ,& conſuetudini,& nõ reſoluit quæſtionem;ne(vt inquit)diſputatio pariat lites,& proceſſus. Idem etiam dici poteſt ad Plottum. Et ad D.Surdũ reſponſum patet ex præcedentib. ſcriptis; immò ipſe non audet figere pedem in generali negatiua, quam facit D. Bagnaſacc. ſed ſe reſtringit ad caſum ſub diſpoſitione iuris communis non contentum,& ad regalia, circa quæ,vt dixi ſupra,& infra ſubijciam,poſſet procedere contraria ſententia, quando non ſunt contenta ſub diſpoſitione iuris communis. Et non ſunt conferendæ iſtorum DD.authoritates cum Brun.Oldra. Iaſ. Boſſ.Natt.authoritatib.& Dominorum Præſidum huius Excellentiſs. Senatus.

Supereſt vt ſatisfaciamus ad aliqua, quæ contra Natt. Boſſ. & Do. Prę́ſidem per D.Bagnaſaccum adducuntur,vt remaneant omnia extra omnem difficultatem, & aleam dubitationis. Et quidem ad ea,quæ contra Natt.& Boſſ.adducuntur,ſatis ex ſupra traditis reſponſionibus, & fundamentis patet illorum rationes veras, & fundamentales eſſe; nec eſt credendum homines, tam graues, & celebres, proprio affectionis intereſſe motos, & ad hanc ſententiam defendendam accinctos fuiſſe, eo prætextu, quòd eſſent vaſalli, vnus Vallis Badiæ,& Bulgari,& alter loci Tonghi, dominij Montisferrati;quia ipſi pro rei veritate ſcripſerunt, & illorum ſcripta indicant totum contrarium, cùm multæ,tam per ipſum Boſſ. in d.tit. de pę́n. & in tit. de regal.& alibi,quàm Natt.in ſuis reſponſis,pręſertim in d.conſ.580. fuerint propoſitę,& defenſæ concluſiones in fauorem fiſci, & ſupremi Domini,contra vaſallos,quamuis de iure defendi,& ſuſtineri poſſet contrarium.

Non obſtat igitur prima reſponſio, quam facit ad Boſſij rationem,quòd in vaſallum non ſit tranſlata omnis iuriſdictio,nec omne imperiũ, & propterea pę́næ iſtæ non deſcendentes à ſuo imperio,ſed à reſeruato ſpectant Principi; Quia replicatur,vltra ea, quæ ſupra di-
38 ximus, vaſallum † conſequi iſtas pœnas ratione vtilis dominij tranſmiſſi; & licet,ratione directi retenti,fiant iſta edicta, non tamen priuatur vaſallus cognitione,& iuriſdictione;quia,vel concernũt ius commune, & eſt clarum vaſallo ſpectare; aut ſunt contra ius commune,& tunc, tãquam à lege noua,obſeruanda vniuerſaliter in ſtatu Principis, proficiſcentes, etiam vaſallo pertinent,

nent, tanquam ſi ſuper delicto contra iuris diſpoſitionem commiſſo cognoſceret; & non fit diſtinctio, ob id, ſiue ab ordinaria, ſiue ab extraordinaria iuriſdictione deſcendant, vt per Oldrad. in dicto conſ. 12. col. 3. & licet l. Imperium non loquatur de illo imperio, quod non eſt tranſmiſſibile, tamen non excludit vaſallum; primò à perceptione vtilis dominij, quod eſt tranſmiſſibile, & diuiduum: ſecundò, ab animaduerſione in facinoroſos homines, quæ contingit, tam ob contrauentionem, quæ fit in legem in corpore iuris comprehenſam, quàm per conſtitutionem Principis propoſitam obſeruandã; quia per vtriuſque contrauentionem, facinoroſi homines dici poſſunt; Neque valet argumentum, quod facit ab oppoſitis, quòd ſicut Dominus non poteſt ſe intromittere in primis cauſis vaſallorũ, ita nec vaſallus in rebus dependentib. à ſua iuriſdictione, quia, primò negatur hæc dependere à iuriſdictione Principis reſeruata, quando vaſallus eadem edicta facere poteſt: ſecundò, quatenus dependeant, non eſt in vtroq; caſu par, & ſimilis ratio. Item non officit, quod dicit, aliàs rem diuerſo iure cenſeri; qa retorquetur argumentum; cũ, ſi ſua opinio admitteretur, res eadem diuerſo iure cenſeretur; quia partem emolumentorũ haberet dominus directus, & partem vtilis, quod non admittitur, prout in terminis ſcribit Caſtr. d. conſi. 353. lib. 1. Nec valet conſequentia quam facit, quòd ſi vaſallus cognoſceret, & haberet pœnas, eſſet particeps eorũ, quæ dependent à ſuprema iuriſdictione reſeruata; quia non ſubſiſtit hoc, cùm vaſallus habeat hæc omnia, per particularem conceſſionẽ vtilis dominij, quod deſcendit abſque dubio ab illo directo reſeruato; & ſic ſumus in claris, ſtante conceſſione, & inueſtitura, & ſic non eſt opus coniecturis: ſunt enim hæc diuerſiſſima, facere ea, quæ ad ius regiũ ſpectant, vt creare tabelliones, legitimare, edicere contra ius, gabellas indicere vniuerſalem collectam imponere, & ſimilia, quæ ad imperium ſpectant reſeruatum; aliud, ex edictorum contrauentione, emolumenta percipere; & ex diuerſis non infertur l. Papinianus exuli, de minorib. & non poteſt ſubuerti illud argumentum Boſſ. quòd quicquid plantatur, & ſeritur, &c. quia territoriũ eſt vaſalli, & homines ſunt ſub illius iuriſdictione conſtituti, & ex directo dominio admittitur plantatio, ſed non recollectio; nec admittitur in feudis abſurditas, quòd vnus ſeminet, alter metat, vt ex antecedentibus ſcriptis colligitur, præſertim ex illa ratione, & inſtantia, quam adduximus ſupra. Sic etiam iure cautum eſt, in cauſis hæreſis, vt licet cognitio ſpectet Inquiſitoribus, & eccleſiaſticis, pœna tamen, ſaltem pro parte, temporalibus dominis applicetur. c. vergentis, de hæret. Burſat. conſi. 43. num. 36. & ſeq. lib. 1.

Minus eſt dicendum vanitates eſſe, quas, pro ſuprascripti ſui fundamẽti ratione, adducit Boſſ. dum voluit poſſe vaſallum poſſe vaſallum idem ſtatuere, etiam contra ius, ſi Princeps non curaret ſuum edictum publicari in terra va-
39 ſalli: Siquidem † non eſt negandũ, quin vaſallus poſſit edicere in ſuo territorio, non contra ius, quia nec hoc, etiam ipſi Principi permittitur, ſed extra, & præter ius; & dictum Boſſij eſt intelligendum, cum grano ſalis, prout loquitur, quia dicit hoc poſſe facere vaſallum, poſtquam Princeps iam edixit, ſed non fuit edictum publicatum in territorio vaſalli, & ſic ſequẽdo legem, iam à Principe latam, qui fecit de licito illicitum, & de non delicto delictum; & non malè facit, qui ſequitur Dominum ſuum, quia tunc non poteſt dici, quòd ſtatuatur contra ius. Et eſt re vera ridiculum, quod proponit, poſt Luſitanos repetentes, in dicta l. Imperium, quod etiã vtatur Princeps imperio maximo, edicendo ſuper re minima; quia hoc eſt con-

tra do-

tra doctrinam Bart. à qua tota iſta ſua diſputatio deprompſit fundamentum. nam, ſi vaſallus, eo caſu, poteſt edicere, virtute imperij in ſe translati, ergò hęc non ſpectant ad maximum imperium, quod eſt reſeruatum; & in territorio vaſalli eſt magis conſiderandum id, ſuper quo fit lex, quàm poteſtas, virtute cuius lex conditur: quia poteſtas eſt diuiſa, & poſſent in exercitio concurrere; quo caſu, vaſallus in ſuo territorio, quo ad ordinariam iuriſdictionem, primas obtinet.

Hinc fit, non eſſe bonum, quod ille ſubijcit, dato vaſallos poſſe ſtatuere, non tamen ſequi, quòd ſi Princeps generaliter ſtatuat ipſe vaſallus percipiat emolumenta; quia immò conſequentia eſt bona, in fauorem vaſallorũ, ad quos, ſpectat emolumentorum perceptio, in alijs edictis; & tantò magis in his, quæ ipſe facere poteſt, quia non admittitur eo caſu concurſus; & generalis tũc Principis lex non priuabit vaſallum, per indirectum, ſua iuriſdictione, & emolumentis, & valebit in terris ſibi immediatè, non in alijs mediatè ſubiectis. Et eſt contra ueras regulas id, quod ſubannectit, vaſallũ non poſſe ſtatuere, quando Princeps manum appoſuit per l. iudicium ſoluitur. ff. de iud. c. ve noſtrum, de appell. quia illa procedunt in iuriſdictione delegata, & in cumulatiuè conceſſa, non in hac, quæ priuatiuè, quò ad concedentem, transfertur; & fallitur ſemper in eo Do. Aduocatus, dum confundit perceptionem emolumentorum cum exercitio ſupremæ iuriſdictionis; quia ſunt diuerſa, & ſeparabilia, ac diuidua; prout videmus in inueſtiturarum conceſſione obſeruari.

40 Non contendo nunc, an † vaſallus poſſit in edictorũ conceptione pœnam confiſcationis bonorum, contrauentoribus indicere, in qua contra uaſallos cõcludit D. Bagnaſaccus: quia hęc quęſtio altiorem requirit indaginem, & non facit ad rem noſtram; ſufficiet nũc ſuper ea uidere Natt. in d. conſil. 659. vbi ſatis doctè, ſuper hac re, loquitur, & quæſtionem reſoluit in fauorem vaſallorum.

Ex ſupradictis, ſequitur malè reprehendi ab eodem Natt. in d. conſi. 659.
41 quia, non † poſſunt illius argumenta vllo modo ſubuerti, ſtante ueritate ſupradictorum, prout ueriſſima ſunt: prȩſertim, quia Natta cõſuluit, in caſu prohibitæ delationis armorum, & ſic in edicto facto, ſecundum iuris communis diſpoſitionem: in quo caſu admittunt omnes vaſallum eſſe iudicẽ competentem, & iuſtum perceptorem emolumentorum, & admittit Dom. Surdus contrariæ opinionis grauis aſſertor, in fine d. conſi. 151. & aliud eſt concedere delationem; aliud prohibere: quia, ex cõceſſione, ſequitur particulare priuilegium, in prohibitione pœnale edictũ: & in conceſſione, contra ius commune diſponitur: in prohibitione, ſecundum ius: & propterea, licet cõcedamus non poſſe uaſallum concedere delationem armorum, poteſt tamen prohibere, & ſic in ſimili edicto cognoſcere. Et re uera mihi uidentur rationes Nattæ ſatis concludentes: & ſi illæ non ſufficerent, iunganturillæ, quæ à nobis ſupra adductæ fuerunt.

Ex eiſdem ſupra ſcriptis, ſolutio patet ad omnia ea, quæ contra Illuſtriſſimum Dominum meum primum Pręſidem adducta fuerunt: quibus ſigillatim reſpondere cuperem; ſed cùm ipſæ reſponſiones, ſatis grauem uindicem habeant, qui uiua uoce, & ſcriptis defendere ſua dicta poterit, ne fortaſſe meis reſponſionibus, Solis radij refulgentes, quaſi nebula intermedia, offuſcari poſſint, melius eſſe duxi ſilentio inuoluere, cùm nec etiam per modici temporis, trium, uel quattuor dierum interuallum, (quo mihi alijs negotijs implicito, ad hæc pauca ſcribendum uacare licuit) diutiùs immorari facultas non detur. Sed tamen nolui ſilentio preter-

prætermittere errorem grauiſſimum, quem in reprehendendis Domini mei rationibus, extra proprios materię cancellos ſe diffundendo, facit Do. Bagnaſaccus, ſuper eo puncto, an in crimine
42 lęſæ † Maieſtatis confiſcatio ſpectet ad Dominum ſupremum, an ad vaſallum. Malè enim in hac re, & quæſtione (pace ſua dixerim) redarguitur Dom. meus, quaſi quòd erroneam, ac falſam doctrinam defendat, cùm in dicta quæſt. 24. ſcripſit, in tali crimine, pœnam Domino mediato, non immediato ſpectare; nam non benè percepit ſcripta Domini Præſidis; qui non intellexit ibi de ſubdito vaſalli, qui bona allodialia in feudo illius poſſideret, ſuper quibus de confiſcatione controuerteretur, ſed de ſubdito vaſalli, qui bona in ſubfeudū, vel emphyteoſim conceſſa teneret; quo caſu communis eſt, & veriſſima ſcribentiū ſententia, quòd eiuſmodi bona ſpectent vaſallo, à quo mouentur, & obtinet ſubditus: non autem ad ſupremum Dominum offenſum, iuxta tex. clarum & apertum, in §. illud, l. Imperialem, de prohib. feudi alienat. per Frider. & ſcripta per Natt. dicto conſ. 119. nec eſt, q̄ tantùm cruciet ſe Dom. Aduocatus, vt oſtendat hanc eſſe communem opinionem, illam pluribus rationibus corroborando: quia eadem defenditur ſententia per D. Præſidem, in terminis ſupradictis: & hanc fuiſſe mentem ipſius Do. mei conijcio ex tribus. Primò, ex materia propoſitæ quæſtionis. Secundò ex Doctoribus, & authoritatibus, quibus vtitur. Tertiò, ex illius declaratione. Primum conſtat, quia quæſtio illa 24. tractat de materia ſubfeudationis, cuius cōſenſus in alienatione requiratur, quæ per ſubfeudatarium fit; & cui ſolui debeat Laudimium, an ſcilicet Domino immediato, an verò mediato: & ſic, gradatim tractando iſtam materiam, cadit ad diſputationem huius ſatis dubiæ, & controuerſæ quæſtionis. Secundum patet; quia dici ſolet, quod dictum Doctoris intelligendum eſt, ſecundum iura, & authoritates, quas allegat, & Do. meus citat Iſern. Crau. Guid. Pap. & Natt. nec non Rolan. qui omnes tenent illam opinionem, quòd pœna applicetur vaſallo, quando tractatur de bonis ſubfeudatis, & ſumus in caſu §. illud. Tertium verò apparet; quia ibi, in verſ. quāuis, dicit in allodialibus plurimos tenuiſſe, quòd ea Principi mediato applicentur: & ſic facit differentiā, diſtinguēdo inter allodium, & feudum. Quò fit, vt minimè nota aliqua digna dici poſſint illius dicta, ſi benè intelligātur: & hanc fuiſſe mentem ſuam eo loco ipſe Dominus meus mihi aliàs apertè declarauit.

Non obſtat obſeruantia locorum vicinorum, quam extare dicebat in voce Do. Aduocatus, nempe ſtatus Mediolani, & Marchiæ Salutiarū: quia ipſe non fuit bene informatus hac de re. Nam Mediolani ſeruatur totum contrarium, vt multi mihi teſtati fuerunt: &, quò ad Marchiam Salutiarum, Illuſt. D. Viceſeneſcallus, qui præſens fuit huic diſputationi, dixit mihi ſeruari indiſtinctè totum contrarium, & quòd ipſe, in contradictorio iudicio, ſæpiùs iudicauit in fauorem vaſallorum, contra fiſcum, in caſibus generaliū edictorum, Regaliarū materiam non reſpicientium.

Euacuatis igitur omnibus his, quæ parte D. Aduocati fiſcalis tradita fuerunt: Generalem conſtituo regulam, & concluſionem affirmatiuam, in hac materia, quòd in caſu edictorum generalium à Principe promulgatorum, ſuper contrauentione, cognoſcat vaſallus, quāuis ſint particulares Iudices, & Conſeruatores conſtituti: & pœnas, ac mulctas, ibi per Principem impoſitas contrauenientibus, fiſco ſuo applicare, & adijcere poſſit, licet in edicto pęna fiſco Principis applicetur.

Huic autem ſic propoſitæ concluſioni aliquot ſubnectemus, pro clariori huius tractationis intelligentia, ampliationes,

tiones,& limitationes,cum quibus noſtra hæc, ſatis longa, diſputatio finem recipiet.

Amplio igitur,& extendo prædictam concluſionem, vt procedat, etiam ſi in inueſtitura, ſuperioris directi,& alti domini, facta fuerit reſeruatio: quia illa
43 reſeruatio † reſpicit recurſum, quem habere poſſunt ſubditi vaſallorum ad ipſum dominum,in ſecunda, vel tertia cognitione; non autem circa primam inſtantiam, de qua Princeps ſe ſpoliauit, & vaſallum inueſtiuit, ex vulg. regula, quòd renunciãtibus iura ſua non datur regreſſus. & ita tenet Natt.dicto conſ.659.col.3. in fi. verſic.non obſtat modo. & conſ.580. in fi. D.Ponte dicta quæſt.24. col.3. verſ.& licet in inueſtitura. plenè Crau.conſ.411. num.37. & ſeq.lib.3. pulchrè Socin.iun.conſ.126. nu.37.& 38.lib. 1. & conſ.76. col.pen. lib.4.& poſt eum Peregrin.de iure fiſci, lib.1.tit.1.nu.93.in fi.Hinc ad propoſitum,ſcribit Bald.in l.fin.ff.de offi.præfec. vigil. quem ſequitur Capic. in ſua inueſtit.feud.pag.mihi 224. col.1.verſ. Fructus iuriſdictionales,volens,quòd ſi Papa, ſeu Princeps concedat mihi omnia in tali Caſtro, excepto mero imperio, iſto caſu omnes pœnæ pecuniariæ pertinent ad me,quia non comprehenduntur ſub reſeruatione meri imperij. multò igitur magis hoc procedet,ſi merum imperium in inueſtitura erit comprehenſum,& conceſſum. Ex quo infero ad caſum, de quo fuit aliàs controuerſia inter patrimonialem Sereniſſimi Ducis noſtri, & Illuſtriſſimum Ducem Nemurtij, Principem Gebennenſem; quòd, etiam ſi Princeps, de cõſenſu vaſalli, reſeruaſſet ſibi, vel delegatis ſuis cognitionem,auferendam à vaſallo;tamen reſeruatio iuriſdictionis non concludit neceſſariò, ad excludendum vaſallum à conſequutione emolumentorum, & pœnarum, ad tradita per Oldr. d. conſ.17. col.3. verſicu.nec obſtat. & col.penult.in fine. Quamuis dictum illud Bald. de quo ſupra ſit controuerſum, vt colligitur ex Iacob. in §. cum mero.col.2.verſ.ſed an pœnæ. Nard.in apoſtill. ad Iſern. in cap.1.§.hæreditatem,ſuper verbo, pecuniariæ. poſt Iaſ. in d. l.Imperium. Natta d.conſil.629. col.3. in fine. Atque ideò per hanc reſeruationem cenſetur ſibi reſeruaſſe illud ius regium, tanquam caracterem Principatus, vt eſt cudere monetam, abolitio delictorum, reſciſio iudicati, reſtitutio ad fatalia,inſtantia peremptæ reſuſcitatio, & ſimilia; hæc enim niſi expreſsè concedãtur non videtur trãſlata in vaſallum. Paris de Puteo de exceſſib.Baron.num.8.& illa clauſula poteſt intelligi præterquam de illis, quæ in inueſtitura cõtinentur. Fulg.conſ.1. col.1.Afflict.de pace tenen.§.ſi quis aliquem,num.9.

44 Amplia ſecundò, vt hæc † concluſio multò magis procedat, ſi Princeps edictum faciat circa ea,quæ ius commune concernunt, etiam ſi augeatur, vel minuatur pęna à iure communi impoſita; nam tunc,cùm vaſallus poſſit idem ſtatuere in ſuo territorio, & exerceantur ea, quæ ſpectant ad imperium trãſmiſſibile,& conceſſum vaſallo, ipſe poterit ſuper edicti contrauẽtione cognoſcere, & punire. ita in caſu prohibitæ delationis armorum exemplificat, trãſeundo cum iſta concluſione. Surd. dicto conſ.152.in fi. Benedi.in cap.Raynutius,§.& vxorem,il ſecundo,nu.437. & in ſtatutis,Notariorum officium concernentibus,& prohibitione extractionis grani exemplificare poſſumus: vt de primo caſu ſunt aperta Decreta, ſupra relata; & de ſecundo tex.in dicto §. poſt natalem.Socin.iun.conſ.76.nu.36. lib.4. qui hanc facultatem ita edicendi cuilibet Iudici iuriſdictionem habenti concedit. Quod etiam procedere exiſtimarem,etiam ſi edicta concerneret Re-
45 galia † Principi reſeruata, vt eſt facultas cudendi monetam; quia falſarij monetarum,& abraſores, à iure communi

Digitized by Google

pęnam habent ordinatam l. 2. & tot. tit. C. de falſ. mone. Guid. Pap. quæſt. 498. de qua re plura Didac. in tracta. de veter. numiſmat. collat. cap. vlt. & hanc opinionem, quòd in caſu falſæ monetæ vaſallus poſſit cognoſcere & punire, remit Afflict. in tit. quæ ſint regal. §. Monetæ; num. 30. quem ſequitur D. Præſes, dicta quæſt. 24. col. 6. verſic. falſans monetam. Quamuis contrarium multis rationibus, & authoritatibus defendat Vincent. de Franc. deciſ. 275. par. 2. vbi loquitur in ampliſſima inueſtitura, cui addi poſſunt ea, quæ vir doctiſſimus Io. Bodin. in lib. 1. ſuæ Reipub. cap. vlt. eruditè, more ſuo, ſcribit. Sed ad concordandas iſtas contrarias authoritates, (quoniam crimen iſtud ſpectat ad læſam Maieſtatem. d. l. 2.) dicemus eſſe locum præuentioni, & Dominum ſupremum poſſe cognoſcere, & pęnā ſibi applicare, in caſum præuentionis, vt in caſibus de quibus infra.

Ampliatur tertiò prædicta cōcluſio, vt multo magis, & fortiùs procedat, ſi
46 inueſtitura † ſit facta cum Regalibus, & cum facultatibus edicendi, & faciendi quicquid Princeps in loco facere poſſit: nam, quamuis, eo caſu, non cenſeantur in vaſallum tranſlata magna regalia, quæ ad Regiam Coronam, iure ſuperioritatis, ſpectant, quia iſta ſunt intranſmiſſibilia, & indiuidua. Lucas de Pen. in l. contra publicam, col. 7. C. de re milit. lib. 12. Ozaſc. deciſ. 101. num. 11. verſ. non obſtat. Bero. conſ. 75. num. 16. lib. 1. Vincent. de Franc. d. deciſio. 275. num. 7. Moder. Pariſ. in §. 1. gloſ. 5. ſuper verbo, *Le fief*, in conſuetu. Pariſ. Tamen cognitio ſuper cōtrauentione dicti criminis, & emolumenta inde prouenientia, quæ magis vtile quàm directum dominium reſpiciunt, & diuidua, ac tranſmiſſibilia ſunt, in ſimilibus conceſſionibus venient, etiam priuatiuè, quò ad ipſum Principem; præſertim quādo tractatur de particulari alicuius loci infeudatione. Bero. dicto conſ. 74. numero 16. lib. 1. & talis vtilis dominij conceſſio auferri non poteſt, neque directò, neque per indirectum. Decian. conſ. 18. num. 190. lib. 1. non enim probabile dubium eſſe alicui poteſt, quin Princeps poſſit omnem vtilitatē, quam ex re propria, licet demaniali, cōſequitur, alij concedere; quemadmodum locare poteſt illos fructus; & hoc ſaltem in vita concedentis. & in hoc ſequor D. mei Præſidis ſententiam, in d. quęſt. 24. qui, hoc in caſu, extendit ſupra factam concluſionem; & hic, re vera, in perceptione emolumētorum, non video eſſe (vt ipſe inquit) probabile diſcrimē inter vnum, & alterum caſum. Vnde ſi inter iſtos DD. Feudatarios aliqui ſint, qui habeant ſimilem inueſtiturā, prout habent Illuſtr. Comites Valpergiæ, ex antiquo priuilegio Sigiſmundi Imperatoris, anni 1430. in quo ſpecificè de omnibus Regalibus inueſtiuntur, declarandum eſt ſine difficultate, cognitionem, & pęnas quorumcunque edictorum ad eos ſpectare, & pleno iure pertinere: quicquid dicat Dom. Ragnaſaccus in conſil. edito contra Illuſtriſſimum Ducem Nemurtij. Et iſta Regalia, etiam per clauſulam, cum iuribus quibuſcunque, in inueſtitura poſitam, tranſlata cenſentur. Decian. conſi. 41. num. 41. lib. 2. præſertim ſi in titulum Comitatus, vel Marchionatus fuerit feudum conceſſum, vt per eundem Decian. ibidem num. 47. quamuis magna Regalia non comprehendi exiſtimem, vt per Rube. conſ. 50. Peregr. de iu. fiſci, lib. 1. cap. 1. num. 76.

Ampliatur quartò, vt ſine controuerſia procedat noſtra concluſio, ſi Feuda-
47 tarij † ſint in pacifica poſſeſſione, ſeu quaſi, exigendi, & cognoſcendi in ſimilibus caſibus, per tempus immemorabile, in tali poſſeſſione non erunt turbandi, ſed manutenendi; præſertim ſi obtinuiſſent in contradictorio ſententias, prout cōtigit iſtis DD. de Valpergia, qui ſemper cognouerūt, ab immemora-

morabili tempore, ſuper contrauentio-
nibus edictorum, etiam regalia concer-
nentium, vt in gabella ſalis, & ſimili-
bus: Ex antiquiſſima enim iſta quaſi
poſſeſſione oriuntur duo axiomata: Pri
mò, præſumi in dubio legitimã, & pro-
48 babilem † cõceſſionem præceſſiſſe, etiã
ſpecificam, in iſtis caſibus, quam pro ti-
tulo allegare poſſunt; cùm iſta imme-
morabilis preſcriptio habeat vim tituli
iuſtè, & decenter conceſſi, l. hoc iure,
§. ductus aquæ, de aqua quotid. & æſti.
cap. ſuper quibuſdam, verſ. præterea, de
verb. ſignific. Iaſ. in l. quominus, nu. 42.
ff. de fluminib. Crau. de antiq. tẽp. par. 4.
§. abſolutis, nu. 9. Bellon. conſ. 46. nu. 2.
Bero. conſ. 115. nu. 32. & 34. lib. 1. Ioan.
Bapt. Vincemala. inter conſ. feudal. va-
rior. conſi. 5. num. 27. Natta conſi. 283.
num. 1. Socin. iun. conſ. 76. nu. 92. & 94.
lib. 1. Decian. conſ. 24. num. 110. & ſeq.
lib. 1. poſt Abb. Card. Dec. & alios, quos
allegat. Et hoc caſu probatio tituli non
requiritur, ſed ſufficit allegatio. Alex.
conſ. 24. num. 15. lib. 5. Tiraq. de præ-
ſcript. §. 1. gloſ. 4. verſic. 31. Purpurat. in
authen. ſi quis in aliquo, num. 48. & 55.
Immò nec etiam allegatio eſt neceſſa-
ria Pariſ. conſi. 114. num. 3. lib. 1. Et da-
to, quòd eſſemus in caſu Regaliũ, quo-
rum cognitionem imperſcriptibile di-
cit P. Belluga in Spec. Princip. rubr. 23.
verſ. de effectib. Imper. num. 17. adhuc
immemorabilis illa præſcriptio exclu-
ſa non cenſeretur; quia per tantum tem
49 poris ſpatium † preſcribitur omne ius,
etiam imperſcriptibile, & cuius præſcri
ptioni lex reſiſtit. Balb. de præſcriptio.
par. 4. 5. par. princip. col. 4. verſic. limita
hanc concluſionem; Socin. d. conſi. 76.
num. 94. Bero. conſi. 84. num. 12. & 13.
lib. 1. etiam contra Imperium Roma-
num. Socin. dicto conſ. 76. num. 98. poſt
Bald. & Ang. in l. 1. C. ne rei domin. vel
templ. Alben. conſi. 64. num. 91. gloſ. in
authen. vt de cætero. ſuper verbo, nulla
temporis præſcriptione, Crauet. de an-
tiq. §. materia iſta, num. 43. Decian. di-
cto conſ. 24. num. 114. Caſſan. conſi. 74.
num. 52. Guid. Pap. quæſt. 409. Et ſcien-
tia Principis non requiritur; quia ac-
ceſſiſſe illius conſenſum præſumitur.
Afflict. deciſ. 254. num. 4. & 5. Alexand.
d. conſi. 24. num. 15. lib. 5. Balb. d. par. 4.
col. 10. verſic. ſextò quæro. Et, de bona
vel mala fide, non erit differendum. In-
noc. in cap. 2. de reſtitut. in integ. Ioan.
And. in additio. ad Specu. titu. de teſte,
§. nunc videndũ, verſi. item opponente.
Bart. & Salic. in l. fin. C. vnde vi. & Bald.
in repet. l. 1. col. 4. eod. titu. Vincemala.
inter conſ. feudal. varior. conſ. 1. nu. 32.
Tiraquell. de præſcript. §. 1. gloſ. 4. ver-
ſic. 18. Crauet. d. §. materia iſta, nu. 16.
Gabriel. in titu. de præſcript. concluſ. 1.
in tertio effec. & in terminis, quòd re-
galia tanto tempore acquirantur; ſcri-
bit Caſtrenſ. in d. conſi. 353. num. 3. De-
cian. d. conſ. 24. nu. 112. Doctores feud.
in cap. 1. §. præterea, de capit. Corrad.
Crauet. in d. tract. §. abſolutis, num. 13.
Curt. iun. conſi. 15. num. 118. & ſeq. Af-
flic. d. deciſ. 254. num. 55. Peregrin. in
tract. de iure fiſ. lib. 1. titu. 2. num. 64. &
ſeq. Villalob. commun. opin. §. preſcrip.
nu. 222. P. Nunez Hiſpan. de exequen.
mandat. Reg. cap. 1. num. 15. verſic. 8. &
latè notat Dominus meus primus Præ-
ſes, in ſuo notabili, tit. qui feu. dare poſ.
num. 42. extendens hæc etiam ad iuriſ-
dictionem ſupremam exemptiuè, dicẽs
communem, nu. 40. Et hæc omnia ca-
rere debent difficultate, ſtante illa anti-
qua poſſeſſione Vaſalli, & perſeueran-
tia. l. ſi filius, vbi Salic. C. de pet. hæred.
l. qui in aliena, §. ſed etſi non adierit.
vbi Bart. Aret. & Iaſ. ff. de acqui. hæred.
& poſt eos Socin. d. conſi. 76. num. 52.
Felin. in cap. ſicut, col. 16. verſic. fallit
tertiò, de iudic. Dec. conſ. 409. in princ.
Anton. Gomez. variar. reſol. lib. 2. c. 11.
num. 17. in fine. Cagnol. in l. 1. num. 69.
C. qui admit.

Secũdum axioma eſt quod inde ori-
tur, ꝙ ſi à Dominis Feudatarijs fides
fiat de inueſtituris, in quibus non ſit

illa expreſſa conceſſio, intelligatur interpretatio ſubſequuta, vt, ſub clauſula meri, & mixti imperij, ac omnimodę iuriſdictionis, illa contineantur, ex effectu conſuetudinis, interpretatiuę; quia, vt in ſpecie quæſtionis noſtrę dicit Aymo in d. art. 19. num. 18. non eſt recedendum à longa cõſuetudine, cùm minimè mutanda ſint, quæ certam formã ſemper habuerũt, l. minimè. ff. de legib. & hæc dicta ſunt ad ſuſtinenda ea, quæ altera die præſtantiſſimus D. Iuuenalis Dionyſius, vnus ex Aduocatis Vaſallorum, in hac quęſtione, coram Excellentiſſimo Senatu, conſideranda pro Vaſallis proponebat; ne propter penuriam temporis iure ſuo priuentur.

Amplia quintò, vt fortiùs hæc omnia ſupradicta procedant in eo, qui
50 non † habet ſupremam illam poteſtatem, vt ſunt Vaſalli illi, qui feuda concedunt; nam cùm illi habeãt ſolam iuriſdictionem, quam totam ſuo Vaſallo tribuunt, ſupremaq; ſit penes primum Dominũ, non poſſunt ipſi ſubditis præcipere, & edicere, minusq; cognoſcere, vti iuriſdictione, & omni facultate carentes; & proptereà conſulebã aliquando non poſſe Reuerendiſſimum Epiſcopum Aſten. Vaſallorum ſuorum ſubditis aliquid præcipere, & edicta pœnalia facere, in terris eorum. 1592. menſe Ianuarij, prout in eadem cauſa conſulebat D. P. Surdus.

Declarari nũc, & reſtringi poteſt ſuperior concluſio affirmatiua, quo ad cognitionem in caſu contrauẽtionis, quando edicta concernerent regalia, ſub diſpoſitione iuris communis non cõpręhenſa, & res Demaniales † Principis, vt
51 gabellam ſalis, & tractam foraneam; quia tunc arbitror veram ſententiã Do. Præſidis in d. quæſt. 24. vt poſſit Dominus cognoſcere, per ſe, vel eius officiarios, deputando particulares Conſeruatores iudices, & ſit locus præuentioni, in concurſu iuriſdictionis, inter ipſos, ita intelligendo, Natta conſ. 487. nu. 4. ſed non priuetur vaſallus cognitione, & emolumẽtorum perceptione, ab vtilitate tranſmiſſa proficiſcentium; quia iſta non ſunt indiuidua, ſed transferuntur; & abſurdum nõ eſt, vt vnus cognoſcat, & alter fructus percipiat, vt ſupra dicebamus, & facit diſpoſitio noui Decreti, lib. 4. cap. 4. vbi ſcribitur, quòd licet cognitio in caſum negligentiæ vaſalli, (quo caſu poteſt Dominus ſupremus euocare cauſam ad ſe. Guido Pap. quæſt. 26. Rebuff. in tit. de euocat. cauſar. Paris de Put. de ſyndica. titu. de exceſſib. Baron. num. 25.) ſpectet Domino, vel Senatui: tamen pœna, & emolumentum vaſallo adiudicetur, quando delictum eſt cõmiſſum in terra vaſalli: ſi enim Doctores volunt, quòd ſi ſubditus commiſiſſet in alieno territorio delictum, propter quod pecuniaria pęna, vel confiſcatione bonorum puniendus eſſet, tamen bona, eo caſu, ſita in territorio vaſalli; ſpectent vaſallo, non autem Domino, quando delictũ eſt commune, vt per Roland. conſ. 21. num. 26. verſ. tertiò dicitur, lib. 4. & ibid. nu. 18. & 20. plures recenſet. & Crau. cõſ. 128. quantò magis hic, quando ſubditus delinquit in territorio vaſalli. Vel, in omnem caſum, ſi Dominus cognoſcat; poſſent diuidi emolumenta, pro labore, & proceſſibus, vt dicit Bal. in cap. cum P. Tabellio. col. 2. verſic. quæro ſi vnus, de fide inſtrum. Et pro hac parte, addendo his, quæ in fauorem vaſallorum ſupra ſcripſi, mouet me multùm, quòd vaſallo expedit habere in feudo ſuo homines diuites, & ſubditos locupletes; ſed depauperantur funditùs miſeri ſubditi, propter inſatiabilem fiſcalium pecuniarum appetitum, & extorſiones ſuorum Commiſſariorum, prout practica ipſa docet (licet hæc committant contra piam, & ſanctam Principis mẽtem) quando Fiſcales Domini manum apponunt iſtis cauſis; ideò benè poſſunt vaſalli recurrere, & ſi præuenerint debitus honor primo iudici eſt ſeruandus,

nec

nec ſunt, per indirectum, iſtis ſuis emolumentis fraudandi. Paris de Put. in dicto tit. de exceſſ. Baron. nu. 54.

Declaratur, & reſtringitur ſecundò dicta concluſio, ſi per particulare priuilegium, nouis hominibus conceſſum, offenſio prohibeatur; &, ſi Princeps aliquod particulare exercitium illis con-
52 ceſſerit, vt exemplificare poſſumus† in Hebræis, quibus Sereniſſimi Principes noſtri priuilegia conceſſerunt ampliſſima, & in vſurarum exercitio tollerantur, iuxta per me tradita in reſponſo meo, pro Vniuerſitate Hebræorum impreſſo, poſt deciſ. 57. Dom. Patris mei. iſtis enim deputari ſolent particulares Conſeruatores, & Vaſalli non poſſunt in illorum cauſis ſe intromittere. Bonum tamen eſt, vt Conſeruator generalis, eo caſu, deputet Subconſeruatores, iudices ordinarios vaſallorum, vt minus offendatur ſua iuriſdictio, & ita ſolet obſeruare Dom. Præſes pater meus, qui eſt illorum Conſeruator generalis. Idem dicere debemus, quo ad monopolia, quæ contra iuris diſpoſitionē Princeps concedit, ne quis vendat, vel introducat merces in ſuo ſtatu, præter illum particularem, qui tale obtinuit priuilegium: nam tunc poteſt in cognitione concurrere, & locus eſt præuentioni; ſed pœnæ ſpectabunt vaſallis, vt in priuilegio Ferruſino conceſſo ſuper venditione cartarum luſoriarum; prout, in hoc caſu, in fauorem vaſalli, cēſuit Excellentiſſimus Senatus, in cauſa fiſci Montiſcaprelli, vtili dominio Marchionis, ſpectare contra fiſcum Ducalem.

Et ita, vt ſupra ſcripſi, concludo; ſaluo ſemper meliore iudicio, & cenſura Excellentiſſimi Senatus, & omni iure Sereniſs. Domini Ducis, Domini mei; pro cuius iure, vt quid in hac re ſentiā liberè dicam, melius eſſe exiſtimarem, irreſolutam hanc quæſtionē relinquere; pronunciando N.L. vel, vti poſſidetis, ita poſſideatis, quā declarationem aliquam proferre ſibi, vel vaſallis præiudicialem; &, ſi caſus continget ſuper hac re, Senatus, more ſuo, iurib. vtriuſque & inueſtituris vaſallorum, ac longa quaſi poſſeſſione, conſideratis, quid ſeruandum erit ſtatuet, & iudicabit; interim nihil noui pronunciādum. Aliàs in fauorem Vaſallorum iudicari, & reſponderi debet. Et hactenus quæſtio non fuit terminata, ſed adhuc ſub Iudice lis eſt.

Gaſpar Antonius Teſſaurus Iuriſc. Eques, & Comes, & inter Aduocatos Sacri Senatus minimus, cum expreſſa Sereniſſimi Ducis licentia.

In eandem D. Teſſauri ſententiam concurrimus nos Doctores, & Aduocati infraſcripti, venia poſtulata.

Bernardinus Bergeria.

Iuuenalis Dionyſius.

Ioannes Vaudus.

Bernardinus Clerici.

Cæſar de Alladio ex Comitibus Sancti Martini.

POST

Digitized by Google

POST mea ſcripta vidi
reſponſa duo facta per
Clariſſimos, & Illuſtres
I. C. Dominos Iacobum
Menochium, & Guidum
Panci rolum præceptorem
meum; qui in fauorem procuratoris Fiſci,
in hac controuerſia, reſponderunt.
Quibus non obſtantibus non arbitror à
concluſione per me facta in fauorē vaſallorum
recedendum eſſe;& certè crediderim,
quòd ſi iura vaſallorum huius
patriæ, & qualitates feudorum percepiſſent,
illaſque Decretorum antiquorum
Ducalium diſpoſitiones vidiſſent,
pro D.Patrimoniali non conſuluiſſent;
& vt illorum ſcripta noſtro non obeſſe
reſponſo demonſtremus; volui ſigillatim
ad omnia argumenta reſpondere.

Et, veniendo ad primum reſponſum
Domini Menochij, animaduerto in pri
53 mis † grauiter errare virum, alioquin
doctiſſimum, & conſummatiſſimum,
in hac feudorum materia in qua verſamur,
dum præſupponit primò, vaſallū
legis ferendæ, & ſtatuti, ac edicti condendi
in ſuo territorio facultatem non
habere, quatenus illa edicta contra ius
ſcriptum, aut Conſtitutiones Principis
ſupremi, ſcripta non ſunt, ſed publicam
vtilitatem ſubditorum reſpiciunt; nam
verior eſt opinio, vt talium ſtatutorum,
54 & † edictorum condendorum habeat
facultatem, quæ nō ab illa ſuprema poteſtate,
ſed à meri, mixtique imperij, ac
iuriſdictionis conceſſione deſcendit, vt
multis authoritatibus demonſtraui, in
reſponſo meo, in quarta concluſione.
Quod verò Doctores dicunt ſoli Principi
hanc authoritatem tribui, intelligēdum
eſt, quando edicitur præter ius,
& de generalibus edictis, non de particulatibus,
qualia ſunt edicta vaſallorum;
&, ſi D.Menochius reſpondendo
ad authoritates contrarias, concedit id
ſimplicibus licere iudicibus, & magiſtratibus,
neſcio videre quare & idem
vaſallo non liceat, qui in feudo Iudex
perpetuus eſt, & vices Principis ſuſtinet,
vt pulchrè notat Dominus meus
d.q.Laudim.24. Et confirmatur noſtra
concluſio nouiſſima Senatus Excellentiſſimi
deciſione, qui in cauſa Illuſtr.
D. Comitis Gatinariæ contra Magnificam
Ciuitatem Vercellarum ſanxit, &
decreuit D.Comiti ſpectare ius edicendi,
modò edicta eſſent rōnabilia. 1590.
20. Decembris. qui Dom. Comes edicta
fecerat contra bannitos locorum Lentæ,
Arborij, & Giſlarenghi, & illorum
receptatores, cum pœnis triremium, &
confiſcationis bonorum; & talē in patria
Sabaudię conſuetudinem eſſe indicant
leges Auguſtanæ lib.1.tit.2.art.8.
&, quo ad prohibitionem extractionis
grani, & victualium, id habeo pro indubitato
per tex. in l.1. & 2.C. quę res exporta.
non poſſ. l.1. §. cura carnis. ff. de
officio præfec. vrb. Socin. iun. conſi. 76.
num.36. lib.4. qui hanc facultatem cuilibet
Iudici iuriſdictionem habēti concedit.

Secundò, errauit in eo, dum præſupponit
Vaſallum, inueſtitum de iuriſdictione
cum mero, & mixto imperio, nō
habere cognitionem cauſarum priuatiuè
quò ad Dominum cōcedentem, ſed
55 cumulatiuè; quia veritas † eſt in contrarium,
ex recepta doctr. Bal. vt dixi,
in meo reſponſo, latè in prima, & ſecunda
concluſ. & latè comprobat Crauet.
conſ.411. à num.28. vſque ad 37. lib.3.
Bero. conſi. 74. num. 7. & ſeqq. lib.1. Socin.
iun. conſ.126. num.1. & 3. lib.3. nec
patitur doctrina Bal. reſtrictiones per
D.Menochium adductas; & authoritates
Natt. Rolan. & aliorum nō probant
eius præſuppoſitum; quia Natt. in conſil.487.
nu.34. poſt Afflict. ibi relatum,
loquitur quandò ſupremus Dominus
cum mero, & mixto imperio vult à ſe
abdicare ſupremam illam poteſtatem,
quia hoc facere non poteſt. & in conſil.580.
nu.4. tenet cum Bal. & ita Rol.
& Surd. & ſuper hoc nō eſt vlterius inſiſtendum;
quia, vt antea ſcripſi, Excellentiſ-

ſentiſſimus Senatus ſolet tranſire cum illa reſolutione Bal. attento, quòd Vaſalli habent inueſtituras titulo oneroſo; &, ſi eſſet locus præuentioni, vt voluit D. Menochius, actum eſſet de iuriſdictione Vaſalli, qui potentiori reſiſtere non poſſet.

Iſtis præhabitis, Non obſtant, quæ contra Vaſallos clariſſimus Doctor adducit; Nam ad primum, & ſecundum argumentum in quibus contendit pœnam contrauentionis applicandam eſſe dicenti, in ſuæ iniuriæ vltionē; cùm ſpretum ſit à ſubditis illius præceptū, reſpondeo, illud habere locum, quando offenſa eſt perſona Domini principaliter, non ſecundariò, vt in caſu edictorum; & ideò, in crimine læſæ maieſtatis, cùm offendatur directò perſona Domini ſupremi, ſpeciale eſt, vt pœnam delicti conſequatur, in territorio vaſalli, vt iam ſuprà dixi, reſpondendo fundamentis DD. Bagnaſacchi, & Surdi; &, ſi vera ſunt, quę in ſecundo fundamento præſupponuntur, quòd pœna deferri deberet illi, cuius cauſa fuit impoſita, concludere poſſemus in caſu prohibitionis extractionis grani, quæ fieri ſolet ob publicam ſubditorum vtilitatem, illam non ipſi Principi, ſed populis, in quorum vtilitatem eſt factum edictum, applicandam eſſe. & illa publicatio bonorum, quæ inobediētibus indicitur propter cōtrauentionem, non reſpicit perſonam Domini, neque eius cauſa, & reſpectu eſt indicta, ſed reſpectu ſubditorum. Præterea, dato offenſam reſpicere perſonam Domini ſecundariò, reſpectu edicti per eum facti, non inde ſequitur vaſallum priuati poſſe emolumento, & iuriſdictione, quæ à contrauētione ſubditorū proficiſcuntur, cùm proueniant in re ipſa, & territorio, de quo eſt inueſtitus priuatiuè quoad concedentem.

Ad tertium argumentum, quòd publicatio hæc bonorum ſit acceſſoria imperij, & dominij reſeruati, & propterea ad ipſum Principem ſpectent bonorum publicationes. Reſpondeo primò, non eſſe citra cōtrouerſiam an vaſallus poſſit indicere publicationem bonorum in ſuo territorio; & in reſponſo meo remiſi me in hac quæſtione ad tradita per Natt. in conſ. 659. ſed nunc vlterius inſiſto; vt, in caſibus in quibus id iuſtè,
56 & † licitè facere poteſt, pœnam confiſcationis bonorū poſſit imponere; quia, cùm ſit inueſtitus de iuriſdictione, ad illum ſpectant emolumēta iuriſdictionis, inter quæ venit confiſcatio; vt de Principe habente actiuam iuriſdictionem dicit Brun. conſi. 120. col. 3. verſic. ex quibus infertur, lib. 2. & col. 5. verſi. & non obſtat. & conſil. 31. lib. 1. Bald. conſi. 205. vol. 4. Natta conſ. 240. nu. 4. lib. 2. ita in terminis tenuit Præpoſitus in cap. 1. in princ. col. 3. de pace tenen. Oldrad. conſ. 17. col. 3. Guid. Pap. q. 76. circa princ. Et hęc bonorum publicatio deſcēdit à mero imperio, ſine quo non ſubſiſteret iudictio, vt per Natt. conſi. 506. num. 22. lib. 3. Benedic. in c. Raynutius, in ver. & vxorem, num. 855. Et quamuis in hac quæſt. magnam diſtinctionem nouiſſimè adferat Peregrin. de iure fiſ. lib. 1. cap. 1. nu. 76. tamen, ſtante inueſtitura cum mero, & mixto imperio, & iuriſdictione, cùm in vaſallum tranſlati cenſeantur effectus meri imperij, & iuriſdictionis, dicendum eſt, abſque difficultate, poſſe illum imponere cōfiſcationem bonorum ſubditis; prout poſteà indiſtinctè, poſt multos, concludit Peregr. dicto loco nu. 87. 88. vſque ad num. 94. Si igitur poteſt Vaſallus, iuſta ſubſiſtente cauſa, talē ſubditis imponere pœnam, multò magis vti poterit illa, quæ iam à Principe impoſita eſt, ſicuti vtitur ea, quæ à lege communi eſt indicta.

Secundò reſpondeo, quòd, dato pœnam publicationis bonorum ad ſolum Principem ſupremum ſpectare, non tamen inde ſequi, quin poſſit vaſallus, in caſum cōtrauentionis, vti edicto Principis,

cipis, & punire ſubditum ſuum, ita delinquentem; immò, ſi per Principẽ puniretur, bona ſic publicata ad ipſum vaſallum, non ad Principem punientem, pleno iure ſpectarent; cùm hæc ſint diuidua, & compatibilia, vt vnus cognoſcat, & alter emolumenta percipiat, vt poſt Oldr. ſcripſi ſupra in meo reſpõſo.

Ad quartum, dum dicit, quòd hæc pœna publicationis bonorum non ſpectat vaſallo, ſubdito contraueniente, tanquàm non ex re ipſa, ſed à ſuprema poteſtate Principis deſcendente; (quo argumento vtitur Surd. in ſæpiùs allegato conſ. 152.) ſatisfecimus ſuprà in reſponſione ad fundamenta eiuſdem D.Surdi in ſeptimo fundamento: neque enim dici poteſt extra rem eſſe talis pœnæ impoſitio, quæ per Principem fit; quia eſt quidẽ extra rem, inſpecta perſona edicentis, ſed non inſpecta perſona ſubditi, in cuius perſonam pœna imponitur; cũ illius perſona, & bona ſint poſita in territorio ipſius vaſalli, & ſic in re, & non extra rem. Nec refragatur
57 dictum Alber.† adductum à Do.Præſide patre meo, in deciſ.250. quòd vaſallo non debentur ea, quæ opera, & induſtria Domini directi acquiruntur; quia illud verum eſt, in caſu, in quo ad vaſallum nulla pertinet cognitio, neque emolumenti perceptio, & quando vaſallus ipſe non poſſet edicere; ſecus verò quando ad uaſallum pertinet cognitio; & ita intelligenda eſt Alberici doctrina, & Domini mei ſcripta, dum loquitur in ea deciſ. de emenda, quæ Decreto Principis impoſita eſt temerario appellanti, quo in caſu ad Principẽ ſpectaſe videtur emolumentum, quia offenduntur aures ſui magiſtratus ad quẽ appellatur; & propterea legimus Imperatorem Neronem apud Cornel. Tacit. lib.14.annal. pagina mihi 417. Senatui hanc emendam conceſſiſſe; quaſi quòd principaliter ipſius Principis offenſa eſſet perſona.

Minus obſtat quintum argumẽtum, quòd ex præuentione deducit; quia, vltra quòd, vt ſuprà diximus, inter ſupremum Dominum, & Vaſallũ non eſt locus præuentioni, vt optimè ſenſit Gramat. deciſ. 30. quem ſequitur Roland. conſ.48.lib.2.& conſi.21.lib.4. dico, in caſu noſtro, quòd licet Princeps prçuenerit vaſallum in faciendo generali edicto, non tamen impediri vaſallũ, quin poſſit uti iuriſdictione ſibi conceſſa per eundem Principem, quando ſubditus contrauenit edicto Principis, quemadmodum abſq; dubio punir ſubditũ contra legem committentem delictum.

Non obſtant authoritates vltimo loco pro confirmatione ſuæ ſententię adductæ, nempe Oldra. Roland. Natt. Aſflict. & Surd. quia iam ſatisfecimus ſatis abundè in anterioribus ſcriptis noſtris; loquuntur enim illi in caſibus diuerſis, & in caſu ſpeciali Oldra. d. conſ.148. & ad deciſ. Excellentiſs. Senatus relatam in dicta deciſio.250. reſponſio patet ex his, quæ ſupra ſcripſi reſpondendo ad Alberic.

Denique, vt vno verbo ad omnia, quę contra vaſallos pro D.Patrimoniali adferri in medium ſolent, reſpondeamus. Dico non militare omnia ea, quæ per Do.Menochium adducuntur, in patria noſtra, ſtantibus verbis claris, & expreſſis Decreti antiqui, in noſtro reſponſo relatis, quibus cautum eſt pœnas Decretorum, in terris vaſallorum, ad ipſos vaſallos pertinere, & ſpectare, ut debitus honor unicuique iudici ſeruetur; & ſic ſatisfactum eſſe puto ad omnes reſponſiones, quas ad argumẽta pro parte vaſallorum adducta, facit D.Menochius; cui certè ſi oſtenſa fuiſſent illius antiqui decreti uerba, mentemq; ſanctam antiquorum, ſanctorumque Sabaudiæ Ducum cognouiſſet, cõtra vaſallos huius patriæ minimè reſpondiſſet.

Reſtat nunc ut reſpõdeamus ad Do. Pancirolum, qui reſpõſum ſuũ ad duas q̃ſtiones reſtrinxit, prima an Dominus poſſit præcipere va ſallorum ſubditi.

Secundas

Digitized by Google

Secunda cui pœnæ, per eum impoſitæ, applicentur. Quod ad primam quæſtionem attinet, concedimus & nos, poſſe generalibus edictis, & legibus Principẽ ſuprema vtentem poteſtate præcipere, non ſolum ſubditis immediatè, ſed & mediatè ſuæ ditioni ſuppoſitis; ſed ra-
58 tione huius edicti non poteſt † poſtea per indirectum priuare vaſallũ illa iuriſdictione, & emolumẽtis, in feudi conceſſione, in eius perſonam tranſlatis, quia hoc eſſet iniuria afficere vaſallũ, vt dicit P. Iacob. in 1. concluſ. relatus; Immò, adeò vaſallus iſtis potitur priuatiuè, quò ad ipſum Principem cõcedentem, vt aliqui voluerint, ſubditum vaſalli citatum ad curiam Domini nõ teneri comparere, ſtante inhibitione vaſalli ne compareat. ita Mandoſ. in tracta. de inhibit. q. 123. poſt Parid. de Put. ibi relatum: vnde dicebat Specul. in loco per me in tertia concluſione relato, ſubditum teneri magis obedire Baroni, quàm Regi, quod, vti periculoſum iſtis temporibus, hodie non firmo. Immò, quamuis ſoleat limitari illa regu-
59 la, quod homo † hominis mei non ſit homo meus, quando habet rem à Domino principali proficiſcentem; tamen in contrarium eſſe communem opinionem dixit Cagnol. in l. conſilij, §. ſocij, de reg. iur. Ratio eſt, quia conceſſio hominum, facta in contractu feudi, intelligitur priuatiuè quò ad inueſtientem. Abb. in c. cæterùm, verſ. fateor, de iudic. Socin. iun. conſ. 126. num. 5. lib. 3. Roland. conſ. 48. num. 25. Ozaſc. deciſ. 29. nu. 8. & hoc eſt ſpeciale, quando conceditur iuriſdictio per contractum.

Accedendo igitur ad ſecundum caput, quod magis ad rem noſtram pertinet, dico argumenta per eum facta non obſtare, quibus ſatisfactum eſt ex ſupra per nos ſatis diffusè ſcriptis; & cùm nihil noui alleget, nec nos vlteriùs inſiſtere debemus; Vt tãdem concludamus Vaſallo pęnas contrauenientium edictis Principis applicandas eſſe; Et ita, vt ſupra cenſeo, ſub correctione, & ſaluo iure Sereniſſimi Do. Ducis Domini mei; cuius emendationi, & ſanctæ voluntati hæc omnia mea ſic raptim ſcripta ſubmitto. Et hanc opinionem tenuit nouiſſimè Vincen. de Franch. deciſio. 434.

Gaſpar Antonius Teſſaurus I.C.

AD DECISIONEM CXXXIII.

De tempore petendæ reſtitutionis in integrum, vide plura apud Sfortiam Odd. in ſuo tract. de reſt. in integ. par. 1. q. 19. vbi plenè de hac materia diſſerit.

AD DECISIONEM CXXXIV.

In fine. In eandem ſententiam, φ poſt trigiuta annos non detur reſtitutio, ex capite ignorantiæ, quamuis ageretur inter priuilegiatos, tranſiuit Senatus in cauſa Communitatis Sambuci contra Iauellum. 1591. 2. Aprilis. Referente Domino Senatore Sandiliano. & fuit dictum, poſt 40. annos, non amplius attendi curſum quadrienij, ad reſtitutionem petendam conceſſum.

AD DECISIONEM CXXXV.

Qværo ad materiam huius Deciſionis, quid erit dicendum, quando à condemnatione principalis condemnatus appellauit, & altera pars nõ appellat, ſed extra tempus coram Iudice appellationis petit ſuppleri ſententiæ, quæ non condemnauit in acceſſorijs petitis; an tunc poſſit Iudex ſupplere? Et cùm hęc quęſtio fuiſſet in Senatu propoſita, ego dicebam non eſſe neceſſariam appellationem, ſed poſſe Iudicem appellationis adiudicare, & ſacere ius ſuper illis acceſſorijs, non ob-

ſtamus re iudicata, per doctr. Iaſ. ita in terminis decidẽtis, in l. 1. limit. 4. C. de iudic. pro qua doctrina eſt tex. in l. fin. C. quando prouo. non eſt nec. ſaluando Deciſionem Domini mei hic, vt procedat quando coram eodem Iudice noua actione petuntur illi fructus; ſecus ſi petitio ſit facta coram Iudice appellationis; & ita cenſuit Senatus 1603. 18. Auguſti. Vide præterea ad propoſitum deciſionis hic poſitæ tam in prima, quàm in ſecũda quæſt. Guid. Pap. q. 55. & 405. Roland. conſ. 62. lib. 4. tex. in l. in ſententiis. 59. ff. de re iud. Hieron. Gabriel. conſ. 31. per totum, lib. 2.

AD DECISIONEM CXXXVI.

AD *num. 7.* Nota, quòd in eadem cauſa Darut, de qua in hac Deciſio. fuit per D. Ozaſc. compilata deciſ. ſua 159. & veram eſſe opinionem illam, quòd quando ſocij, in communi apotheca præpoſuerunt inſtitorem etiam vnum ex ipſis ſocijs, pro contractis, & geſtis cum illo inſtitore, omnes tenentur inſolidum, etiam quòd in inſtrumento ſocietatis dictum fuiſſet, quòd omnes tenerentur pro ſua virili; quia illa verba pariunt effectum inter eos, non quoad alios, qui cum illis contrahunt. & ita, me referente ſuperioribus diebus, cenſuit Senatus totus, congregatis de more claſſibus, cũ ageretur de reuiſione, in quadam cauſa fratrum de Corderijs, de Monte Regali, contra quoſdam mercatores Alemanos. 1609. 22. Auguſti. In qua, etiã cauſa fuit comprobata ſententia eiuſdem Dom. Ozaſc. dum ſcripſit, poſt multos, non teneri ſocios erga mercatores, qui cum inſtitore contraxerant, nõ pro capitali in eadem ſocietate collato; à qua opinione Iudicem non debere recedere: dicit Rota Genuenſis, deciſ. 14. nu. 114. Sed dubium eſt, quomodo intelligendum ſit quod dicitur de iſto capitali, an intelligatur de primo capitali, quod ab initio ſocietatis fuit per ſingulos ſocios in ſocietatem poſitum; an verò in capitali ſit etiam comprehenſum id lucrum, quod durante ſocietate prouenit ad ipſos ſocios. Et, in cauſa prædicta, aliqui ex Dominis erant in illo voto, quòd omnia lucra medio tempore queſita venirent ſub nomine capitalis. Placuit tamen eſſe attendendam diſtinctionem, quòd vel lucra extant, vel non extant, tempore litis contra ſocium motę; primo caſu ſi illa extant, veniant ſub nomine capitalis. Secundo verò caſu non eſſe comprehenſa, nec venire in liquidatione; quia non eſt veriſimile velle ſe obligare ſocium, niſi pro rata capitalis; iuxta tradita, in iſtis terminis, per Anchar. conſ. 315. & Dec. in l. qui cum alio contrahit. ff. de reg. iur.

AD DECISIONEM CXXXVII.

AD *num. 3. verſ. nam integra legitima.* Adde Bellon. conſ. 9. num. 3. Deci. conſi. 454. num. 3. Pic. in l. Titia, §. fin. num. 83. & 84. ff. de leg. 2.

AD DECISIONEM CXL.

AD *num. 1. in fine.* Adde, quòd hanc etiam opinionem tenuit Benincaſ. in tract. de alluuionib. par. 1. num. 9.

AD DECISIONEM CXLI.

AD hanc deciſ. & ſuper materia illius, confirmando tradita per Do. meum hic, plura nouiſſimè ſcripſit M. Antonius de Amatis, in deciſio. Anconitana decima, per totam. & de varietate Dominorum Auditorum Rotæ Romanæ, in hoc arduo, & difficili articulo, colligimus ex deciſio. 1285. in nouiſſimis par. 3. Et quòd, in poſthumo ignoranter præterito, non ſit recedendum ab opinione.

opinione Bart. quam communem aſſeuerat, ſcribit Viu. Aquilan. deciſio. 422. lib. 3. vbi vide an ſaltem ſuſtineantur, rupto teſtamento, legata fauore piæ cauſæ, & tenet quòd non.

Ad num. 15. Ex hac limitatione, & ex hic traditis, mihi videtur poſſe confirmari illa opinio, quã defendebam ſuprà deciſ. 128. nempe quòd ſi, per matris præteritionem, vel per exhæredationẽ patris, quia hæc parificantur, teſtamentũ, propoſita querela, ruptum declaretur, & inofficioſum: tunc, taliter euaneſcat inſtitutio; vt per clauſulam codicillarẽ, à filio præterito, tanquam fideicommiſſum, non obtineat hæreditatem hæres inſtitutus, nec obliquetur inſtitutio, iure directo facta. Nam licet hæc videatur, poſt tempora Signoroli, magis recepta opinio, contra gl. in Auth. ex cauſa. C. de liber. præter. vt teſtamentũ ſuſtineatur à præteritione, virtute iſtius clauſulæ, vt per multas authoritates oſtendit Viu. deciſ. 422. lib. 3. Decian. conſ. 9. num. 84. lib. 5. Peregr. conſi. 73. num. 10. Ego tamen ſemper iſto caſu, quando filius iniuſtè præteritus, vel exhæredatus reſpectiuè fuit à patre, vel matre, iudicarem contra communem, quando agitur de tollenda hæreditate filio, cui iure naturæ ſpectat, & adiudicatur, extraneo inſtituto. Neque exiſtimo iura antiqua in l. Titia, & in l. ſi mater, C. de inoff. teſta. eſſe correcta, prout latiſſimè defendit Viu. deciſ. 420. lib. 3. vbi conatur reſpondere multis modis, ad illa iura. Et re vera ipſa iniquitate iniquius, & inhumanitate inhumanius eſſet, priuare filium, & cogere illũ, iniuſtè exhæredatum, ad reſtituendã hæreditatem extraneo. Nec mouet ꝙ dici poſſet, hic ſubeſſe voluntatem teſtatoris, qui vocauit extraneum, & voluit teſtamẽtum valere omni meliori modo: quia reſpondetur, ꝙ illa voluntas tanquàm dementis, & inſani hominis, non eſt attendenda; & ſatis eſt ꝙ per illam clauſulam, ex iure nouo, ſuſtineãtur legata, & fideicommiſſa, nec in totũ ſubuertatur teſtamẽtum; & propterea Cy. & Bart. & alij ſequaces, tam in d. Auth. ex cauſa, quàm in l. 1. de iure codicill. qui tenuerunt ſuſtineri teſtamentũ ruptum ex cauſa præteritionis per clauſulam codicillarem, limitare videbantur ipſorum opinionem illo caſu, quando iniuſtè filius exhæredatur. Et iſtam opinionem æquiorem, & in puncto iuris veriorem, ac in conſcientia per iudicem, & conſulentem ſequendam iudico; ſaluo ſemper ſaniori Dominorum meorum iudicio.

Ad num. 18. *in fi.* Super iſto puncto, an duę quartæ detrahantur, ego dicerem opinionem D. mei eſſe ſequendam, tam in caſu hic poſito, quàm etiã in caſu quando præualeret illa opinio apud eos, qui à communi dubitant recedere ſententia, vt filius præteritus teneatur reſtituere hæreditatem inſtituto extraneo; nam tunc fortius erit recedendum ab altera communi, ꝙ purè grauatus detrahat ſolùm vnam quartam, de qua nouiſſimè teſtatur Viu. deciſ. 420. nu. 24. lib. 3. & tenenda erit humanior opinio, ꝙ duæ quartæ detrahantur, quãdo agitur de reſtituẽda hæreditate per filium præteritum; & iſtam opinionẽ ego ſuſtinebam in Senatu contra alios Dominos, qui volebant defendere contrariũ, in illa cauſa Taurineſi Bauzani, de qua ſcripſi ſupra ad deciſ. 128.

AD DECISIONEM CXLII.

AD *num.* 1. & 2. Adde ad materiam Crau. conſ. 60. num. 1. lib. 1. Cephal. conſi. 507. nu. 31. lib. 4. & quòd nec per ſententiam poſſit tale pactum ſuſtineri, tenuerunt Ange. conſi. 225. Rom. conſil. 206. Curt. ſen. conſ. 63. Grat. cõſ. 66. & quamuis, in præſcriptione centenaria, contrarium ſentire videatur Afflict. deciſ. 234. volens ad illam præſcriptionem inducere Principis cõſenſum, ſpeciem

 quem

quem tale pactũ confirmatur. Menoch. conſ.202. num.79.lib.3. poſt Alexand. conſ.29.nu.20.lib.3.tamen magis communis videtur eſſe in contrariũ, vt per Balb. de præſcript. 4.par.princip. q.13. Brun.conſ.173. col.fin. verſic.item non obſtat. Gomeſ. in §.quædam, num.21. Inſtit.de act. Bald.& alij in l.1.C.de anna.except.reprobata ibi glo. Ange.conſil.55.in fi. Nat.conſ.630.num.5.

Ad num. 3. Quòd per iuramentum non confirmetur huiuſmodi pactũ de ſtando perpetuæ communioni, addo pro hac opinione Balb. in loco ſupra citato, Vaſq.de teſtam.potẽt.lib.1.§.7.in prin. Capic.decif.174.Sebaſt.Medic.in tract. Mors omnia ſoluit. par.2.concluſ.103. Viu.lib.1. opin.105. Rube.conſ.89.Cephal. d.conſ.507.num.35. Ludou.concluſ.53.fol.132.verſ.fallit etiam.Rimi. conſi.49.& 76. Decian.reſpon.92.nu.9. lib.2. & hæc opinio eſt, ſine dubio, magis communis, & tenenda; quę fulcitur ex altera, magis communi pariter opinione, quæ habet quòd non valet pactũ iuratum, vt res ſit ſemper, & perpetuò communis.l.nulla.ff.pro ſoc. Menoch. conſ.12.num.8.& 9.Petra.de fideicom. quæſt.5.num.142.& quæſt.8.num.523. Valaſc. conſ.63. Marc.q.626. par.1. & 211. num.3.par.2. Gomez. varia.reſol. lib.2.cap.5. num.2. Anchar.lib.3.q.58. Pancirol.conſ.128. Bero.cõſ.157.lib.2. Simon de Pret. conſ.179. nu. 28. par.2. Io.Phil.reſpon.29. Ozaſc.dec.76.nu.7. & 150.num.1.

Ad num. 4. Eandem opinionem per multas rationes tenuit Ludou.Gomeſ. in §. quædam,num.18.& ſeq. Inſtit.de act.

Ad num. 5. in fi. Aduertendum eſt, quòd in hac cauſa lis erat inter paciſcentes, & propterea Senatus cenſuit valere pactũ, ſtante vita paciſcentium. Sed ſi mortui eſſent paciſcentes aliud eſſet dicẽdum, ex magis cõmuni opinione, de qua conſtat per Doctores hic allegatos, quibus addo Corn. conſ.13.in fi. lib.4. Alexan. conſi.59.lib.5. Dec.& Vaud.in l.ſi quis in conſcribendo, de pact. & ita cenſebat Senatus in ardua cauſa Marchionis Gareſſij, contra Communitatem, vbi fuerat conuentum, vt quædam nemora remanerent indiuiſa. 1593. 30. Auguſti, referente D.Guerillo, & in reuiſ. 1594. eodem menſe, referente D.Fauzono. illa ratione; quia, cùm ex communione facilè rixæ, & diſcordiæ oriãtur, & ſcandala, vt plurimum, proueniant, ius publicum, ita lædi cenſetur, vt nec quis ad obſeruantiam iuramenti teneatur; & effectus illius ad hæredes non trãſibit, Riminal.ſen. conſi.292. num.11.& 12. Crot.in l. nemo poteſt, nu.56. de leg.1. Ruin.in §.Diui.col.43.verſic.eo tamen caſu; & ſcribitur ſupra decif.32.num.9. Ex iſta cõmunis opinio militabit etiam in pactis correſpectiuis; quia illa intelliguntur iuxta naturam, & qualitatẽ cuiuſcunque, prout conſuluit Soc. in conſil.278.in fi. verſic.poſtremò, vel maximè, lib.2. vt fuit reſolutum in prædicta cauſa Gareſſij; ita interpretando Dec.in conſ.265.num.3.verſ.nam quatenus.& Pariſ.conſ.127. num.8. lib.4. qui aliàs videbantur contrarij; & ideo, ſi natura rei fert, vt non poſſit ampliùs durare communio, pactum correſpectiuũ non ſubſiſtet; quia, cùm factum intelligatur pro rei cõſeruatione, non erit obſeruandum ſi contrarius effectus reſultet. Soc. d.conſ.278.nu.13.& de iſtis pactis correſpectiuis ſcribit Menoch. de pręſumptio.lib.6.præſumpt.12.Barb.conſi.37. Cæterùm iſta deciſio Senatus, de qua in præſenti deciſ. militabit, etiam durante iuſta cauſa permanendi in communione. ita, poſt Ruin.Dec.Pariſ. Socin. & Roland. ſcripſit Menoch. conſi.202. num.77.78. lib.3.pulchrè Cępol.in tracta. de ſeruit.ruſtic.præd. cap.9.nu.38. verſ. aut eſt minor. Guter. de contract. iurat. cap.48. nu.6. item in pacto facto ſuper re certa, vt per Roman. conſi.13. quem ſequuti ſunt Crot. in d. l. nemo poteſt, nu.38. Curt.iun. conſ.111. in fi. & conſ.112. qui conſuluit in ſimili caſu

huius

huius deciſionis, vt quædam bona Burghetti eſſent perpetuò communia in Illuſtri familia Raudenſi. Verùm, in omnibus iſtis caſibus, quælibet iuſta cauſa, reſultans ex communionis imporentia, poſſet ſubuertere pactum, quantũuis iuratum, præſertim quando ex perſeuerantia communionis abuſus reſultaret, & depopulatio, ac deuaſtatio proprietatis; ita in caſum depopulationis conſuluit Bald. conſi.71. lib.2. Cæpol. d.loco. cap.9.num. 38. Redoan.de reb. Eccle.non alien.cap.35.Viu.deciſ.194. vel quando ſocius non poteſt liberè vti portione ſua.l.vel quod.ff.pro ſoc. Decian.conſ.97. num.12. lib.2. & priuilegium amittitur propter abuſum. c.tuarum, extra de priuileg.Oldr. conſi.241. & pactum ſemper eſt intelligendũ donec in illa voluntate fuerit perſeueratum, vt per Corn.conſ.48.lib.3. & propterea iſtis conſiderationibus attentis, Senatus in prædicta cauſa Gareſſij, quæ adhuc pendet per reuiſionem, me referente, admiſit capitula Marchionis cõcernentia abuſum. 1603. mẽſe Auguſti.

AD DECISIONEM CXLIII.

IN hac materia fructuũ, & penſionum, in vtroque capite poteſt diuerſimodè diſtingui, & primò quo ad fructus, quòd aut illi ſunt reſeruati, & tunc aut decedit reſeruatarius antequã fructus ſint maturi, & à ſolo ſeparati, & tũc ei omninò nihil debetur, & nihil transmittitur ad hæredes, quia reſeruatio fructuũ expirat, & fructus tranſeunt ad titularem, & proprietarium, & remanent Eccleſiæ, per tex. in l.defuncta.ff.de vſufr. in l.Iulianus, vbi Bald. de actio.empti. Alex.conſ.40.col.fin.lib.3. Aut verò reſeruatarius decedit poſt quam fructus ſunt collecti, tunc ad hæredes pertinẽt, per text. in l.ſi vſufructuarius meſſem. ff.quibus modis vſufr.amitt.Iaſ.in l.diuortio, nu.49. ff.ſol. matr. gl.in c.præſenti, de offi.ordin.in 6. & communem dicit Corn.conſ.314. col.2.lib.3. Albeřic.in d.l.diuortio, num.12. & ita audiui fuiſſe per Rotã Romanam iudicatũ pro hæredibus Illuſtriſſimi Cardinalis Cæſij, & pro hæredibus D.Antonij Carpani. Quantum verò ad penſiones, pro rata temporis diuidantur, computando à die mortis, & debitæ penſionis. Rom. conſ.388.Gig.quæſt.51.& 25. Barto.in l.fin.§.Triphonio.ff.de iure fiſ.Alexan. conſ.15. lib.2. Io.Bapt.Ferret.cõſ.118. & 151.& hanc opinionem Couar.lib.1. variar.reſolut.cap.15.nu.13.cuius opinionem veriorem dicit Molina de primogen.lib.3.c.11.num.4.& vidi etiam per Excellentiſſimos Iuriſconſultos ſuper hoc atteſtatum de ſtylo curię. Bero. conſi.138.lib.1.licet contra Didac.latè teneat Riminald.iun.conſ.634.lib.6.& 716.eod.lib. Quid autem dicendum ſit in conductore, an mortuo locatore ſucceſſor in beneficio teneatur ſtare locationi? Et videtur dicendum quòd ſic, ex traditis per Borgnin.deciſ.44. Contrarium cenſuit Senatus, quia locatio dicitur extincta. Abb.in c.fin.ne pręla.vices ſuas. Natta conſ.517.Carroc.de loca. par.1. c.47. vbi de cõmuni teſtatur. & de vtraque quæſtione vide Ioan. Gutierez.Canonicar.q.cap.33.& 36.

AD DECISIONEM CXLIV.

IN *fine*. Regula eſt in hac materia, quòd morte rei delictum extinguitur, & per cõſequens, nec pœnæ locus erit, ex vulgari dicto, mors omnia ſoluit; ſuper quo tractatum ſcripſit Sebaſt. Medices l.ex iudiciorum. ff.de accuſa.l.rei iudicatæ, §.hæredi. ff.ſol. matrim.l.emancipati.§.emancipatus, de collat.bon.& ibi gloſ. quam regulam firmant Angel. de maleſ. in verbo, qui iudex. verſ. & prædicta procedunt. col.11. Henric. Boic. in c.fin. de ſepult. Boſſ.de pęn.num.34. Didac. de ſponſalib. cap.6. §.8. num.6.

Dec.

Dec. & Cagno. in l. pupillus, §. in hæredes, de reg. iur. Menoc. cōſ. 99. nu. 150. Proſdocim. in tract. de differen. iur. canon. & ciu. num. 120. Clar. q. 51. nu. 15. Brun. de interitu. concluſ. 15. verſ. item crimina. Peregri. de iure fiſ. lib. 4. tit. 4. Gabriel. lib. 7. de crim. concl. 34. Imola in l. 1. de priuat. delic. Ioan. Bapt. Aſin. in l. 1. de relig. & ſumpt. fun. Ideò ſententia contra mortuum lata nulla erit. Barb. conſ. 42. col. 5. vol. 5. Roland. conſil. 1. lib. 3. & hæc regula procedit ſecundum aliquos, tam in priuatis, quàm in publicis delictis; de quo Menoch. d. conſ. 99. num. 157. Sed limitatur, quando pœna imponitur ipſo iure; ita tunc non eſt neceſſaria condemnatio, quia ſtatim Fiſco ius quæritur ex delicto; de ſtylo tamen, hoc caſu, requiritur declaratio, ante mortem delinquentis. Boſſ. vbi ſupra: Clar. d. quæſt. 51. Tiraquel. in l. ſi vnquam, in ver. reuertatur, nu. 196. C. de reuoc. donat. Menoch. d. conſ. 99. num. 156. & 171. & de recuper. poſſeſſ. remed. 1. num. 159. Senatus noſter ſolet obſeruare, quòd ſi fuerit in cauſa concluſum, & factæ probationes, tunc poſſit ſine dubio ſequi condemnatio, & ita cenſuit. 1573. 8. Maij, quo ad pœnam pecuniariam; Non valebit autem, hoc in caſu, ficta probatio reſultans ex informationibus, & probationibus in rei contumaciam ſumptis, & ideò idē Senatus de anno 1588. menſe Iunij, cùm eſſet impoſita pena reo, vt compareret, quam dicebatur incurriſſe in contumaciam, & interim deceſſiſſet, nec reperiretur facta aliqua declaratio, abſoluit hæredes à petitionibus Fiſci: & de anno 1574. 15. Iunij, cùm fuiſſet abſciſus naſus Domino Martino Caligario aduocato fiſcali, in domo priuati, dum coreæ ducerentur, & inquiſitio formaretur contra Dom. Georgium Viſcam, quaſi quòd, media pecunia, mandaſſet tale delictum perpetrari per quendam affinem; immò de mandato homicidij etiam inquireretur, fuiſſentq́; ſumptæ informationes, & reus examinatus, & inde mortuus fuiſſet, ante factam repetitionem teſtium, in carceribus; dubitareturque an procedi poſſet contra hæredes, ad penam pecuniariam, vel confiſcationis bonorum, cùm adeſſent informationes vrgentes, & conſtaret de principali delinquente affini, agereturque de crimine aſſaſſinagij, & læſæ maieſtatis, pro quibus delictis ipſo iure pœna confiſcationis bonorum imponitur, Senatus cenſuit, quòd cùm reus viuens non eſſet confeſſus, neque conuictus, non poſſe procedi contra heredes, ſed delictum morte fuiſſe penitus extinctum, cum pœna; & fuit dictū quòd in crimine aſſaſſinagij non reperitur limitata regula, & quòd is non eſt de caſibus excepetuatis, per gloſ. in l. ex iudiciorum, de accuſar. & quantum ad pœnam confiſcationis bonorum, quòd, licet veniret imponenda, requirebatur tamen declaratio, vel ſaltem probatio facti ante mortem, & non fuit habita ratio caſus læſæ maieſtatis, quia non erat in primo capite, nec odio Principis erat factum delictum, ad not. per Auguſt. in addit. ad Ange. de malefic. in verbo, qui iudex videns, num. 46. Roland. conſi. 1. lib. 3. num. 16. 23. & 32. per tex. in l. fin. ff. ad l. Iul. maieſt. Boſſ. de crim. læſæ maieſta. num. 14. & 36. Capic. deciſio. 130. num. 17. Gig. de crimine læſæ maieſta. lib. 1. quæſt. 14. Vbi dicit, quòd occidens Principis Conſiliariū priuato odio non incidit in crimen læſæ maieſtatis. Et hunc caſum vidi notatum in recollectis Domini mei primi Præſidis à Ponte, fœlicis recordationis, ex cuius libris fateor, in compilandis Domini mei patris deciſionibus, plures hauſiſſe deciſiones, cùm me filiali amore proſequeretur, egoque illum vti colendiſſimum patrem venerarer; illiusq́; opera, & beneuolentia fui de anno 1593. 28. Aprilis mortuo D. Præſide patre meo ad hūc dignitatis Senatoriæ gradū aſſumptus, à Sereniſſimo Carolo Emanuele Duce

noſtro

noſtro inuictiſſimo, quem cum prole ſua Deus nobis per multos annos ſeruet incolumem.

AD DECISIONEM CXLV.

AD num. 1. Vide ad hanc rem Dominum Præſidem Menoch. in ſuo tractatu de arbitr. iudic. caſu 187. num. 8.

AD DECISIONEM CXLVI.

AD num. 15. Clauſulam, iure antiqui feudi, effectum inducere etiam quo ad collaterales agnatos, vt aliquid operetur, quando primo inueſtito feudum conceſſum fuit, videtur magis communiter Doctoribus placuiſſe, licet multi contradicant, vt videre licet apud Tiraquell. de retrac. conſanguin. §. 32. gloſ. vnica, num. 31. & ſeq. Crauet. de antiq. temp. par. 5. ſect. vlt. num. 16. & conſi. 509. num. 6. & 7. & conſi. 639. 664. 926. 952. 965. vbi num. 4. teſtatur eſſe morem patriæ, vt agnati ſuccedãt, & conſi. 973. nu. 6. licet variauerit conſil. 501. num. 9. & 10. Roland. conſi. 16. lib. 3. Bero. conſ. 79. lib. 1. Gabr. de feud. concluſ. 1. Sola in proœm. decret. gl. 1. num. 19. Surd. noſter in cap. 1. an agna. vel fil. num. 47. & alter Surd. conſi. 15. num. 22. Clar. in §. feudum, quæſt. 8. & iſta clauſula multos alios effectus operatur, vt per Rauden. de Analog. lib. 1. cap. 34. num. 225. & ſeq. Sed ſuper illa clauſula, iure antiqui, vel tanquam antiquum, vide Camill. Galin. de verb. ſignific. lib. 9. cap. 28. num. 11. vt operetur in preiudicium Principis inueſtientis. Riminald. conſi. 96. num. 31. & ſeq. & in cauſa magna Comitum Morettæ, & Comitis Fruzzaſchi, ſuper feudo Tauernettarum, Senatus inclinabat cum hac opinione, quòd clauſula, iure antiqui, ſuum effectum induceret contra inueſtientem, non contra inueſtitum, quin ipſe poſſet in præiudicium agnatorum diſponere, quæ cauſa non fuit hactenus terminata, ſed fuit (vt audiui) concordata.

AD DECISIONEM CXLVII.

HAnc eandem opinionem Socini contra Decium, ſequutus fuit Senatus Mantuanus, teſte D. Surdo deciſio. 113. qui allegat iſtam deciſionem, & vltra limitationem hic poſitam, addo aliam limitationem, vt ſcilicet non procedat illa opinio Socini contra Dec. quando datio in ſolutum non eſſet facta liberè, ſed ad vtendum, & fruendũ, donec fuerit facta ſolutio; ita cēſuit Senatus vnitis claſſibus, referente D. Senatore Goueano. 1601. vlt. Februarij, & preſertim re nondum effectualiter tradita, vt per Gozad. conſ. 42. num. 15. quamuis datio ad vtendũ non cenſeatur pignoris conſtitutio. Aret. conſ. 159. Decian. cõſ. 35. num. 43. lib. 2. Menoch. conſ. 201. lib. 3. Nat. conſ. 496. Surd. conſ. 243. vide Purpur. conſ. 254. & Crau. conſ. 691.

AD DECISIONEM CXLVIII.

AD num. 3. Adde, quòd eandem opinionem tenuit Ludo. Pegue. deciſ. crim. cap. 42. num. 6. & 7. Phanut. de lucro dot. gloſ. 2. num. 82.

Ad eundem num. in fi. Adde, quòd hodie non obſeruaretur iſta pœna; quia narium abſciſio, eſt totius faciei, & humani corporis deturpatio, & propterea hæc pœna inhoneſta dicitur à Virgilio lib. 6. Aeneid.

Deiphobum vidi lacerum crudeliter ora,
Ora, manuſque ambas, atque inhoneſto vulnere nares.

Ad num. 4. in fine. Nota, quòd poterit Iudex Eccleſiaſticus, ſi Laicus manũ non appoſuerit, & ipſe de cauſa ſtupri cognoſcere; ſed tutius eſt, vt abſtineat;

& ſi

& ſi cognoſcat de cauſa, & inquiſitum leuiter puniat, poſſit Laicus iterum cognoſcere, & ſeueriùs punire, in ſupplementum iuſtæ pœnæ, prout contingit de anno 1591. menſe Ianuarij, in cauſa cuiuſdam Nigri de Collegio, qui fuit iterum poſt ſententiam Iudicis Eccleſiaſtici mulctatus per Senatum, inſtante fiſco illius loci in ſumma librarum 200. quarum medietas fuit fiſco menſæ Iudicis Eccleſiaſtici applicata, referente D. Senatore Cortina; pro qua re faciunt, quæ ſcribit D. Ponte in tit. quis ſit Iud. in cauſa feud. col. 7. circa med. & extat conſilium in iſtis terminis Do. Cancellarij Ozaſchi, in alia ſimili cauſa de Collegio, quòd extra volumen ſuorum conſiliorum impreſſum circūfertur: vbi doctè, more ſuo, multa ſcribit, & ego habui illius originale ex ſcripturis Perilluſtris D. Emanuelis Philiberti de Sabaudia, Comitis olim Collegij, & ſororij mei, quem in gloria illa Cœlorum Deus videat cum ſuis electis. Ad materiam deciſionis vide Menoch. in additio. ad lib. 2. de arbitr. iudicum, caſu 294.

AD DECISIONEM CXLIX.

IN *fi. deciſ. ſuper verbo, refectionis Eccleſiæ.* Quòd ad refectionem Eccleſiæ forenſes non teneantur, cenſuit iterum Senatus, referente D. Senatore Sandiliano 17. Iulij 1590. ex traditis per Bertr. conſi. 53. num. 5. & 6. in fi. lib. 1. par. 2. de qua cauſa ſigillatim poſui in 2. par. deciſ.... & eſt in manuſcrip. deciſ. 549. An autem teneantur ad expenſas, quæ fiunt in loco tempore peſtis, quæſitum fuit; & ego dicebam non teneri; quia illæ expenſæ non fiunt pro conſeruandis bonis, ſed pro conſeruandis perſonis, & allegabam iſtā deciſ. in qua cenſuit Senatus non teneri forenſes ad cuſtodias, quæ fiunt tempore peſtis; Placuit tamen alijs Dominis cōtraria ſententia, eò quia illę expenſæ concernunt publicam vtilitatem loci; & per eas cōſeruantur coloni, qui fructus bonorum etiam tempore peſtis colunt, & percipiunt: ita cenſuit congregatis claſſibus, in cauſa Cōmunitatis Collegij, & Grugliaſchi. 1601. menſe Martij, referente D. Cortina. Vide Ioan. Gall. q. 130. 137. 254. & 338.

Sed quid dicendum de iſtis hoſpitationibus militum, quibus tota die, hiſce temporibus, patria noſtra grauatur, an ad eas forenſes teneantur? Et reperio quod nouus quidam auctor Franciſcus de Claperijs, in ſuis centurijs cauſarum fiſcalium, cent. 37. tenuit illos eſſe immunes, dicens ita iudicatū per Curiam Aquenſem; quia forenſes non tenentur niſi ad ea, quæ concernūt vtilitatem; ſequendo diſtinctionem P. de Antibol. in ſuo tract. de mun. & honor. 2. par, princip. tit. de modo mun. col. 3. num. 9. Et ego iſtam opinionem indubitatè ſemper tenerem; ſed in patria noſtra ſeruatur contrarium, & per Senatum ſolent condemnari forenſes ad ſolutionem collectarū impoſitarum pro huiuſmodi hoſpitationibus; modò tamen per Agentes Communitatū reducatur ad iuſtam taxam, quę regulabitur iuxta qualitates perſonarum, & cibariorum valorem in loco, & ſuper illa nouiſſimè fuit factum edictum à Sereniſſimo Duce, quod perpetuæ legis vim habere voluit; in quo tamen ego nimis grauatos remanere forēſes ſemper ſum arbitratus, & fuit factum edictum illud ad inſtantiam quorundam officialium, qui volebant fauere ſuis hominibus.

AD DECISIONEM CL.

HAnc opinionem, de qua in vlt. deciſ. hic poſita, quòd filiafam. de dote nō poſſit teſtari, in ſpecie ſequitur Cagno. in l. fin. num. 103. C. de pact. quæ opinio procedet etiam in donatione propter nuptias,

nuptias, prout de bonis aduētitijs ſcribitur infra nu.11. Bald.conſ.442.lib.4. Gui.Pap. q.223. & de teſtamentis filiorumfamiliàs, vide pulchram conſtitutionem Regni Neapolitani, tit.4. de filijsfa.volent.teſta. vbi gloſſatores multa ſcribunt. Vtrum autem donatiò cauſa mortis facta per filiumfam.patre cōſentiente valeat, dubia eſt quæſtio, & per ea quæ traduntur hic ampliatio.5. nu.14.Videtur concludendum non valere; Verùm in contrarium ſtat tex. in l.filiusfam. ff.de donat.in l.tam is.§.filiusfam.ff.de donat.cau.mort.Et,vt ibi dicit gloſ.regula quæ habet, ꝙ qui non poteſt teſtari, non poſſit donare cauſa mortis, non habet locum in filiofamiliàs,qui donat patre conſentiente; & in hoc aſſimilatur donatio contractui, vt dicit Soci.iun. in l.2.nu.12.ff.de leg.2. qui etiam cōtra Cumanum dicit ab iſta opinione, tanquam communi,non eſſe recedendū;& de cōmuni teſtatur Craſſ. in §.donatio. q.3.nu.1. & cū illa tranſiuit Senatus, me refer. in cauſa Ordani Nicienſis. 1600.9.Auguſti. Et hoc,ſiue donatio ſit facta in actu ſolo, ſiue in teſtamento, cū illa clauſula, ſi non valet iure teſtamēti, valeat iure codicillorū, prout erat in prædicta cauſa, & in alia, quæ fuit relata per D. Senatorem Guerillum.1602.2.Decemb.quæ tamen,ob alias difficultates,nō fuit reſoluta. Sed ſi is cui donatur eſt abſens,tunc cenſuit Senatus non valere donationem, iuxta doctrinam Bart.in l.tam is,§.filiusfam. nu.2.& 3.ff.de donà.cau.mor. quem ſequitur Roland.conſ.82.nu.27.lib.1.vbi voluit non valere etiā in vim fideicommiſſi; ſicuti in eum caſum valeret donatio per alium,etiam abſenti facta,vt dixi deciſ.... par.2. & eſt in manuſcriptis collectan.699. vide Aſcan. Clemen. de patr.poteſt.effec.10.nu.7.

Notabis autē, circa id quod dicitur, quòd filiafamiliàs nō poſſit de dote teſtari,quod ſi illa teſtata fuerit, & in eadem voluntate mortuo patre perſeuerauerit vſque ad mortem, licet teſtamentum ab initio ſit nullum, tamē legata, & fideicommiſſa,per clauſulam codicillarem ſuſtinebuntur, tex. eſt ſingularis in l.1.§.1.de leg.3. Item limitabis regulam illam, ſi filiafamilias ſit à patre emancipata; nam tunc poterit teſtari liberè, & ſine vlla difficultate,vt per Gabriel. conſ.16.nu.35. & ſeqq.lib.1. niſi emācipatio eſſet facta ad vnicū actum, vel in fraudem filiorum; nā tunc, non obſtante emancipatione, teſtamentum eſſet nullum, vt conſuluerunt Anan. conſ.23. Anch.cōſ.430. Dec.conſ.279. & 245.nu.5. Pariſ.conſ.97.col.fi. lib.3. contra quos licet tenuerit Gabriel. dicto conſ.16. iuxta tamen illorum ſcripta cenſuit Senatus, in cauſa Galeæ, & Cuſani contra legatarios. 1597.

*Ad num.*17.Vtrum filia poſſit donare dotem marito,viuente patre,ſtante prę ſertim ſtatuto deferente partē dotis marito,ardua eſt quęſtio,& difficilis;& dum eſſem Iudex huius Auguſtæ Ciuitatis Taurini, ego habui in facto iudicandā; & re vera multùm dubitaui antequam ſententiam proferrem;nam æquitas videbatur ſtare pro donatione, cùm pater, viuente filia, nullum habeat vſumfructum, & non ſit priuanda facultate diſponēdi de dote: rigor verò iuris ſtat pro patre, contra donationem. ex reg. l.dos à patre. & ſicut filia nō poteſt auferre lucrū,quod à ſtatuto defertur, ita nec poterit auferre id qđ à lege tribuit. Ozaſ.deci.20.nu.7. ſtante pręſertim legis prohibitione de donatione fienda, inter maritum,& vxorem, de qua ſupra dec.32.vlteriùs in hac q. reperiebā contraria ſcripſiſſe Crauet. in conſi.84. 92. 543.& 39. & ideò Doct. noſtri recurrūt ad diſtinctiones. Prima eſt,quòd aut in promiſſione de reſtituendo dotem promiſſio eſt facta de reſtituendo filiæ, vel eius hęredibus, & tunc valeat donatio; aut verò pater ſtipulatus ſit ſibi reddi, tunc non valeat. ad quā diſtinctionem ſe reſtringit Crau.conſ.84.& 92. Rube.

conſ.166.nu.3.Curt.iun.conſ.152.Soc. iun. in l.in quarta,nu.140. ff.ad l.Falc. Caſt.cōſ.109.in fi.lib.1. Zabar.cōſ.111. Sed contra iſtam diſtinctionem facit ꝙ pater ſtipulando, fauore filiæ videtur ſtipulari etiã pro hæredibus,& pro quibus dos de iure venit reſtituenda; & ſic etiam in illius fauorem cenſebatur facta ſtipulatio, ordine iuris ſeruato, de quo in l.2.§.quòd ſi in patris,ff.ſol.matrim.iuxta doctr.Bar.in l.vxori,§.teſtamento, de leg.3.& iſtæ omnes ſtipulationes patificantur per Bal. Nouell. de dot.par.6.art.29.&ꝙ ex illa ſtipulatione pater ſibi non præiudicet, tenuit latè Tibe.Decian.conſ.56.nu.1. vſque ad 24.lib.1.& pulchrè per Io.Crot.cōſ.95. nu.8.Purp.conſ.396.nu.50.& 51.lib.1. immò ꝙ omnis actio in patrē conſolidetur,eſt communis opinio, de qua per Rip.in l.2.§.quòd ſi in patris,nu.5.ff.ſoluto matr. Altera eſt diſtinctio quã affert Crau.in d.conſ.84.ꝙ hæc donatio fit quidē valida, ſed viuente patre ipſe habeat vſumfructum, & ad hoc citat Corn.& Caſtr. Verùm ego non reperio inter conſ.Corn.iſtud dictũ; licet idem Corn. conſ.224. lib.3. in iſtis terminis conſuluerit; Et hęc diſtinctio refellitur per Decia.in d.conſ.56.nu.9.quia actus à principio nullus non poteſt reconualeſcere.Mihi multùm placebat iſta opinio Crau.& credo ꝙ per ſupremum Magiſtratum poſſet teneri; ſed in iudicando vti ſimplex Iudex, dubitaui recedere à rigore iuris;& cùm vidiſſem,in hac cauſa,ſcripta per præſtantiſſimos Iuriſconſultos tunc temporis,DD.Conſtantium Filippi, & Ludouicũ Morotium, poſtea primum Senatus Præſidem meritiſſimum, qui pro donatario conſuluerant;& conſilia DD.Franciſci Odetti, ac Proſperi Galeani, nunc Aduocati Patrimonialis, qui pro parte ſcripſerant,ac reſolutiones dubiorum; cenſui donationem à filiafamilias factam non valere,non obſtante ſtatuto, ac ſtipulatione illa; hac præſertim ratione motus, quòd aliàs daretur occaſio maritis extorquendi iſtas donationes ab vxoribus ſuis. 1588.menſe Iunij.

Ad eundem num. verſ. ſicuti etiam. Vide ad hanc rem, quæ ſcribit Thomas Parpal.in l.2. num.78. ff.ſol.matrim. text. & Doct. in l.conſtante, C. de donatio. Bertrand.conſ.105.lib.9.

AD DECISIONEM CLI.

AD *num.*4. Adde quòd hanc rationem,nempe mulieri ſuccurri, quia ſciebat ſibi eſſe prouiſum ex diſpoſitione iuris, ponderat Peregrin. de fideicom. art.42.nu.17. citans D.meum hic,& tenet indiſtinctè,mulieri in dote eſſe ſuccurrendum,& hanc eandem Didac.& Ripæ ſententiam ſequitur.

AD DECISIONEM CLIII.

AD *num.*2. *in fi. verſic.& hac quidem de iure antiquo.* Ad hunc antiquum morem capiendi debitores,vel etiã filios eorum; vt ſeruirent creditoribus ſuis reſpexit locus ille, lib.4. Reg. c.4. vbi mulier ære alieno grauata conquerebatur cum Eliſeo prophéta, cauſam querelæ principaliter intentando contra iſtam ſeruitutem. *Seruus tuus* (inquit) *vir meus mortuus eſt, & tu noſti, quia ſeruus tuus fuit timens Deum. Et ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi, &c.*

Ad nu.5. in fi. Quæſtio iſta, verum hæres cum beneficio inuentarij poſſit euitare exequutionem, illam decretalem tertij plùris vltra verum valorem, fuit ſæpius propoſita poſt iſtam Deciſionē impreſſam; & ex mente,& verbis Decreti, quidam ex Dominis dicebant rem eſſe claram,ꝙ illud tertium eſt creditori adiudicandum, non obſtante oblatione bonorũ,quæ fit ab hærede debitoris, quia Decretum reſpicit fauorem creditoris,

qui cogitur inuitus aliud pro alio accipere, & multas expenſas facit, multaque patitur incommoda, ac damna, etiam ſuper bonis leuatis,quę vt plurimùm poſſunt eſſe etiam alijs obligationibus obnoxia. Verùm iſtis reſpondebatur,quòd hęredi cum beneficio legis multa competũt priuilegia, quæ latè proponuntur à Rolan. & alijs in tit. de inuent. inter quæ hoc videbatur adnectendum, cùm ſatis ſit creditori, in hæreditate grauata,conſequi ſuper bonis ius ſuum, illa præſertim ratione,ꝙ hæres cum beneficio inuentarij poteſt ſoluere in bonis, non obſtante iurata promiſſione defuncti de ſoluẽdo in pecunia, vt latè per Phanut. de inuentar. par.5.nu.149. cuius opinionem ſequebatur Senatus in cauſa Dominorum de Caſtaneis. 1600. menſe Octobris, cum temperamento, de quo per Surd.deciſ. 318.in fi. quamuis idem Surd.deciſ.30. defendat hæredem cũ beneficio inuentarij teneri ſoluere in pecunia, iuxta promiſſionẽ iuratam quoties hęreditas eſt opulenta:quo poſito parui momẽti, & inutile eſſet hoc priuilegium, ſi teneretur tradere bona ad illam æſtimationem,detracta tertia veri valoris. Tandẽ fuit, claſſibus congregatis, reſolutum, quòd ſi fieret exequutio in odium hæredis,& hæreditas eſſet ſufficiẽs,& opulenta, caperetur illa tertia pars, in æſtimatione bonorũ,odio hæreditatis; ſed ſi hæreditas non eſſet ſufficiens ad ſatisfaciendum concurrentibus, tunc beneficiũ inuentarij extenderetur etiã ad hoc,vt non teneretur tradere bona creditoribus, niſi ad iuſtã æſtimationem. & hoc fuit reſolutum tam tempore D. mei, de anno 1589. 16. Iunij, in cauſa Bonini, referente D. Sola, & 25. Iulij, 1590. referente D. Sandiliano, quã poſtea,me multoties proponẽte,& prǽſertim nouiſſimè in cauſa Vernetti,& Ruſſignani. 1604. 20. Febr. in qua fuit admiſſus ad hoc beneficiũ hæres, non obſtante ſententia Senatus, qui in cõtradictorio,dixerat eſſe faciendã exequutionem cũ tertio pluris, etiam ꝙ eſſet iam facta exequutio; quia poſtea,concurrentib.alijs creditoribus,hęreditas fuit reperta non ſoluendo: & fuit dictum ita in futurũ obſeruandum; & concurrentibus creditorib.hodie habetur pro expedito,vt dicã infra ad deciſ.158. & dicebatur per antiquiores Dños ita fuiſſe aliàs reſolutum, de anno 1574.in cauſa D.Cardetti contra Bellagardã,quæ petebat dotes in bonis patris,non obſtante priuilegio dotium. Cæterùm, quod hic dicitur de patre, & coniũcta perſona,ꝙ facta oblatione non habeat locum Decretũ, niſi pro vtilitate decimę, procedit ſi fiat oblatio ante ſententiã, nam ſi fiat poſt ſententiã tunc habet locum decretum, quod etiã odio fratris indiſtinctè procedit, & non militat hoc caſu ratio æquitatis. Ita cenſuit Senatus totus, in cauſa Ruſchis contra Marinum, me referente, ad declarationem huius deciſionis 1602. 14. Iulij.

Ad num. 6. De veritate huius opinionis, vtrũ vaſallus,& Doctor poſſint detineri pro debito ciuili, & carcerari, multum dubitatur; & in Doctore cẽſuit Senatus poſſe detineri, qñ eſt de iſtis doctorellis, qui non exercent officiũ ſuum, vel legendo publicè, vel aduocando, iuxta tradita per Doct. in l. medicos. C. de prof.& med. lib.10. ſed in vaſallo vidi diuerſimodè obſeruatũ;& regula eſt ꝙ nõ poſſit pro ciuili debito detineri, ex priuilegio nobilitatis,& militię,quod conſequitur poſt feudi conceſſionẽ à Principe factam; Sed feudo amiſſo, vel dolosè contrahẽte cum creditoribus, non obtinebit hoc priuilegium: qua de re ſcripſi in meo tracta. de iuribus, & author. vaſal. in feud. & vide Ioan. Guter. de contract.ib. iurãt. c.16. Beat. de inop. debit. cap.16. Vaſq. de ſucceſſ. progreſſ. lib.3.2.par.§.22.num.75. Gomeſ. varia. reſolut. lib.2. cap.11. num.34.

Ad eandem deciſ. in fi. Adde ad materiã huius dec.& an procedat, ſtante iuramẽto,

L 2 bene-

beneficium Auth. hoc niſi debitor. quæ ſcribit Bertazol. in tract. clauſul. clauſula 41. glo. 5. nu. 2. & quæ nouiſſimè latè congerit Cæſ. Barzius, dec. Bononiẽ. 40.

AD DECISIONEM CLIV.

IN prin. Adde Dominic. Soto, in ſuo lib de iuſt. & iu. lib. 6. q. 5. art. 2. vbi latè, & doctè concludit perſonalem cẽſum iuſtè conſtitui, & emi licitè poſſe, & valere emptionem cenſuum, tam conſtitutorum antiquitùs, quàm conſtituendorum, dicit Ozaſc. deciſ. 95. num. 7.

Ad eandem deciſ. in fi. Adde, q̃ reductionẽ iſtam ad æquitatem ſolet facere Senatus, quotieſcũq; granum tempore careſtię longè excedit valorẽ currentẽ tempore conſtitutionis cenſus; & quamuis Alba. conſ. 173. in princ. lib. 1. tenuerit non poſſe moderari illud pretium, quia res certa fuit promiſſa: tamẽ Senatus de anno 1591. cenſuit eſſe faciendam reductionem ad duodecimam, ita vt eſſet in electione debitoris, vel ſoluere granum ad ratã duodecimę, vel pecuniã ad eandem rationem, ex latè congeſtis per Caballin. in tract. de vſur. q. 21. nu. 215. & ſeqq. taxando duodecimam ad octo, & vnũ tertium pro centenario; & ad hanc æquitatem, circa taxam victualiũ in ſolutione cenſuum, reſpexit Decretũ antiquum, incipiens, *Cenſus, redditus, et ſeruitia*. ſuper quo ſcripſit D. Sola inter ſua commentaria pag. mihi 45. & ſeqq.

AD DECISIONEM CLV.

AD num. 1. Quæ ſolemnitates requirantur ad inuentarij legitimã confectionẽ ſcripſi latè deciſ. 10. par. 2.

AD DECISIONEM CLVII.

HYpothecariæ actioni quanto tẽpore præſcribatur ampla eſt quæſtio; &, licet vera ſit opinio, quæ à Do. meo traditur hic nu. 6. q̃ requirantur 40. anni; verior tamen mihi videtur altera opinio, quam Senatus obſeruat, q̃ poſt 30. annos expiret; niſi ſimus in minore, vel iuſtè impedito; Sed, in titulo poſſidente, & à bonæ fidei poſſeſſore cauſam habente, glo. in l. cum notiſſimi. voluit per decenniũ præſcribi, quam ſequitur Anchar. conſ. 126. verſ. poſtremò videtur. Curt. iun. in rubr. ſi cer. pet. nu. 17. gl. in l. ſi à creditore. C. de act. & oblig. Crau. conſ. 148. num. 6. Cuiac. de præſcript. c. 30. Balb. de præſcri. 4. par. quartę pari principalis, q. 5. pro qua opinione videtur ſtare iura, in l. an vitium. & in l. creditor. ff. de diuerſ. & temp. præſcript. in l. ſi à creditore, & l. vlt. C. de act. & oblig. Et quamuis Sarmient. Select. interpretat. lib. 2. cap. 9. ſubtiliter ſatis contrariam opinionem defendat, reſpondendo fundamento, & iurib. contrarijs; tamen non eſſet tutũ ab opiniõe gloſſæ recedere, quam vidi ſæpius in factĩ contingentia per Excellentiſſimum Senatum obſeruatam. Sed quando vltra hypothecam adeſt conſtitutũ, tunc propter interuerſam poſſeſſionem, aliud dicendum videretur; qua de re dixi infra ad deciſ. 215. num. 6. & ius offerendi ſequi in totum hypothecam tradit Excellen. D. Præſes Morotius in ſuo tract. de iur. offeren. num. 59. qui comprobat ſcripta per Dominum meum hic.

Ad num. 11. Contra deciſionẽ poſitam in hoc octauo caſu, & contra Ceph. hic allegatũ tenet D. Præſes Morotius, huius Excellentiſſ. Senatus primus olim Præſes, in prędicto ſubtili, & doctiſſimo tractã. de iur. offer. quod eſt impreſſũ poſt illius reſponſa nouiter edita; qui diſtinguit inter ius ſedi creditoris, & ius principalis debitoris, poſt Rimin. iun. cõſ. 5. nu. 28. pro cuius diſtinctione facit, quia quo ad ſecundũ creditorẽ non eſt extincta per adiudicationem hypotheca, qua durante ſemper competit ius offerendi. Verũ, pace D. mei, ego non recederem,

nec

nec puto recedendum ab iſta deciſione; pro qua induco textum ſatis bonum in l.ſi eo tempore, C. de remiſſ.pign. vbi creditor, facta licitatione, non comparẽs, amittit ius hypothecæ, ergo amiſſa hypotheca, non amplius erit tractandũ de iure offerẽdi; & cũ hac opinione, nõ obſtantib. allegatis per D. Morotiũ, cõfirmãdo deciſionem de qua hic, tranſiuit Senatus, 1602. Refe. D. Crauetta, nunc primo Præſide, & D. meo; in qua tamen cauſa fuit admiſſus, contra votum Relatoris, ad ius offerendi ſecundus creditor; quia tempore licitationis ſe oppoſuerat, & fuerat excluſus quia non fecerat fidem de ſuis iuribus; tandem verò, repertis iuribus, & titulo ſui authoris, qui rem emerat ante ſubhaſtationem, petijt ſe admitti, facto depoſito ſummæ debitæ, & fuit admiſſus ex benigniori ſententia, cui rigor iuris obſtabat. Et eſt notandum, quòd illa præſumptio, de qua latè per D. Menoc. lib. 3. præſumpt. 121. quòd emptio facta à creditore, cenſeatur facta cauſa pignoris conſeruandi, non habebit locum in caſu huius deciſionis, quando res iure dominij, ſuit, preſente poſteriore, primo creditori adiucata, in hoc enim caſu parificantur debitor, & ſecundus creditor; & ſicut ex forma decreti non admittitur debitor poſt ſex menſes, ita eodem iure, ſaltem poſt illud tempus, erit excluſus ſecundus creditor; qui ſibi imputare debet quòd tempore licitationis nihil dixit, dum poſſet tunc offerre. Crederem tamen, pro iſto ſecundo creditore, bonam eſſe cautelam, quando vult offerre, & non habet pecuniam in promptu, vt tempore licitationis cõpareat, & proteſtetur de iure ſuo, petatque admitti ad ſoluendum, ſaltem infra decennium; & hoc in caſu poſſent limitare, quæ dicit D. Morotius; & tunc primus creditor cautus eſſe debet, vt faciat præfigere per Iudicem terminum proteſtanti ad ſoluendum, quòd fieri poſſe ego in facti contingentia reſolue bam, licet aliqui ex Dominis de hoc dubitarent.

AD DECISIONEM CLVIII.

Dixi ſupra deciſ. 153. in concurſu creditorum, quando multi creditores concurrunt contra hæreditatẽ ſui debitoris, & hæreditas non eſt ſoluendo, non deberi vtilitatem illius tertiæ partis veri valoris, de qua Decretum diſponit; & ita hodie, non obſtantibus quibuſcũque iudicatis cõtrarijs, & traditis per D. meum hic inconcuſsè obſeruatur, quòd in odium creditorum poſteriorum nunquam per anteriores capiatur iſta tertia; ſed, deducto principali credito, cùm legitimis acceſſorijs, & expenſis, fiat iuſta æſtimatio, & ad iuſtam æſtimationem, bona leuata adiudicentur creditoribus, iuxta cuiuſque anterioritatem; & ita fuit multoties, in contradictorio, reſolutum, præſertim in cauſa D. Senatoris Conterij, contra generum, Referente D. Senat. Ferretio, congregatis claſſibus 1590. menſe Nouembris & in quadam cauſa Buſchetti de Chetio. Ampliando vt hoc procedat etiam in cauſis priuilegiatis, vt in reſtitutione dotium; prout fuit reſolutum in cauſa Carociæ; relata per eundem D. Ferretium. 1593. 9. Octobris. & in alia cauſa contra mulierem, quæ petierat dotes in tuto collocari, ob vergentiam viri ad inopiam; non obſtante ſententia, quæ bona adiudicauerat cum decima; cùm appareret bona non ſufficere pro ſatisfactione creditorũ 1599. 23. Aprilis, Referente D. Senat. Fauzono, & nouiſſimè ita fuit reſolutum in cauſa magna hæreditatis Camilli Tanæ, qui fuit, propter homicidium vxoris bannitus, contra tertios, me Referente 1602. men. Iunij. Vnde non erit amplius ſuper hoc in poſterum hæſitãdum, vt tandem aliquid certi iuris habeamus. Et erit iſta limitatio ad illud

Decretum,

Decretum, de quo in principio huius deciſionis. An autem hæc procedant quando, poſt adiudicationem bonorũ, ſit per creditorem impetratio iuris dominij, dicã in ſecunda parte deciſ. . . . & nunc eſt in manuſcriptis. deciſ. 713.

AD DECISIONEM CLIX.

AD *nu. 4.* Adde quòd pro hac concluſione eſt tex. in l. quoniam nouella. C. de inof. teſt. & eam tenet Graſſ. in §. legitima. q. 24. in princ. Quid autem dicendum ſit in filio, qui ceſſit bonis. vide Gui. pap. q. 293. & in filia renunciante, quòd illa partem faciat fauore filiorum, in calculanda legitima, cenſuit Senatus, me patrocinante, in cauſa Vercellenſi de Nigris. 1589. 28. April. Refer. D. meo Senatore Crauettæ; & ita ſæpius pronunciauit, quando non ſumus in cauſa ſtatuti excludentis filiam: & in ea cauſa cenſuit à ſemiſſe detrahendas eſſe dotes, non autem à reſiduo bonorum, & quòd, ſi quæ actio filiabus competijſſet ad petendum legitimæ ſupplementum, tale ſupplementum cedere debeat commodo filiorum hæredum inſtitutorum, non autem fideicommiſſariorum.

AD DECISIONEM CLX.

AD *ſi. verſic. ſunt enim tertia ſpecies.* De hac re ſcripſi pleuè in ſecunda par. deciſ. 2. vbi videbis quando iura, & actiones, & quibus in caſibus, ſub bonorum appellatione comprehendantur.

AD DECISIONEM CLXI.

PRiorem, & magis rigoroſam opinionem contra minorem delinquentem, multis ſuſtinet, & defendit Ferdin. Mendoza. diſput. iur. ciu. lib. 1. cap. 3. nu. 33. vbi reſpondet ad tex. in d. §. in delictis. Vincen. de Frauch. deci. 504. par. 3. Sed ego à poſteriori opinione nunquam recederem, quam puto iuridicam, & in criminalibus ſequendam, & non ſolùm arbitrarer illam procedere in ordinarijs delictis, ſed etiam in atrocioribus, vt in falſo eſt tex. in l. Senatus, ff. ad l. Cornel. de falſ. in homicidio voluntario Rol. conſil. 77. lib. 3. per totum: in præſtante auxilium homicidio animo deliberato commiſſo. Natt. conſil. 458. in ſodomita. Socin. iun. conſil. 7. lib. 3. quamuis, in iſto crimine, Senatus, tam agentes, quàm patientes ſoleat ad mortem damnare, quando excedunt 20. annum, & ita fuit in quadam Cherienſi cauſa iudicatum, me reclamãte, de qua dixi in meis manuſcrip. deciſ. 712. & hanc mitiorem opinionem ego defendebam, in quadam ardua cauſa, cuiuſdam ſcolaris Sabaudienſis, quæ fuit coram Sereniſſimo Duce noſtro diſputata, ſuſtinendo ſententiam Senatus, qua dictum fuerat illum propter homicidium in perſonam cuiuſdam nobilis vi perpetratum, non eſſe ad mortem dãnandum, reparata ſententia Capitanei Iuſtitiæ, quæ illum in amputatione capitis condemnauerat: de qua tamen cauſa, quæ magnificata fuerat apud Principem, qui ob id decreuerat multis Senatoribus ingreſſum Curiæ interdicere, dicemus aliqua ſuo loco; Et vidi Senatum, extra caſus atrociſſimos, ſemper minori 25. pœnã minoraſſe; & in atrocioribus, niſi minor vigeſimum ſuæ ætatis annum exceſſiſſet, & inter 20. & 25. annos eſſet cõſtitutus, à rigoroſa mortis ſententia receſſit, & aliam corporalem minorem eſt amplexus opinionem. Et re vera, ſi minori intra illam ætatem ſolet dari curator, ſine quo nullam in ſuis negotijs gerendis habeat adminiſtrationẽ, neſcio videre; quare, & in delictis ſine aſſiſtentia curatoris perpetratis, non ſit illi propter æta-

tis,

tis, & ingenij imbecillitatem ſubueniendum. vide ad materiam plura per Menoc. in addit. ad lib. 2. de arbitr. caſu. 329.

AD DECISIONEM CLXII.

SVper hac quæſtione extat hodie impreſſum conſilium Do. Morotij in ſuo libro conſ. 1. & ſuper vlt. caſu, vide pulchram diſtinctionem quam ponit Afflic. deciſ. 309. Et quid dicendum, quando agitur de ſuccedendo conſobrino, vide Hypol. Riminal. conſ. 526. lib. 5.

AD DECISIONEM CLXIII.

AD *num.* 2. Hoc idem voluit Ozaſc. deciſ. 86. num. 3. & ſeqq. Purpur. conſ. 415. num. 1. lib. 2.

Ad num. 5. in fi. In hac materia, & ad ea, quæ in hoc vltimo capite, pro reſolutione traduntur, notabis, quod licet Communitas habeat electorem, tamen non poterit hac electione vti, & agere contra venditorem, qui prius bona poſſidebat, quando denunciata fuit per venditorem Communitati venditio, & Communitas fuit interpellata ad mutationem regiſtri; tunc enim à die interpellationis liberatur venditor. Ita cenſuit Senatus, Referente D. Senatore Guidetto 26. Martij 1596. confirmata priori ſententia Senatus eiuſdem, de cuius reuiſione agebatur.

AD DECISIONEM CLXV.

AD *num.* 2. Adde pro hac opin. Gomeſ. Leon. in ſua informat. centur. cap. 23. num. 2. & ſeqq.

Ad num. 4. in fine. Adde quòd idem tenuit Forcatul. Necio mant. dialogo. 100. num. 5. Rimi. iun. conſ. 569. num. 246. & conſ. 592. num. 64. lib. 5. & præſertim quando iuramentum fuit ſimplex, vt per eundem Rimin. conſ. 247. num. 56. & ſeqq. lib. 3. & in magna læſione conſil. 316. num. 4. Bened. Capra. in tract. regula. regu. 87. num. 101. & duobus ſeqq.

Ad num. 8. Stante illa clauſula in inſtrumento venditionis, quòd ſi res vendita plus valeat quàm venditor donat; voluerunt aliqui non eſſe locum remedio l. 2. & hanc opin. communem dicit Afflict. deci. 80. numero 2. Ideò diſtinguendum arbitror inter enormem, & enormiſſimam læſionem; quia ſi ſumus in enormi, de qua loquitur tex. in d. l. 2. tunc illa donatio valebit, ſed ſi læſio eſſet enormiſſima, quia tractaretur de magna donatione, & intentio contrahentium non eſt donare ſed vendere; tunc crederem talem clauſulam nihil operari, ita Forcatul. d. Dial. 100. qui à communi, tanquam à via publica, recedendum non eſſe ſcribit Meneſ. poſt Bart. in d. l. 2. num. 42. Pinell. ibid. par. 1. cap. 2. num. 20. & cum hac diſtinctione ſunt intelligenda, quę tradit Bertrand. conſ. 4. num. 5 lib. 3. prout idem met declarat in conſi. 53. nu. 3. lib. 10. Quomodò autem in hoc remedio reſciſorio, ſit liquidandum iuſtum pretium diſputant Doctores, & glo. in l. 2. dat exemplum, ſi res valeat decem, & vendatur pro ſexdecim, in emptore læſo; cuius gl. opinio eſt frequentiori calculo recepta, vt refert Pinell. in d. l. 2. cap. 2. num. 5. & ſeqq. Neuiza. conſ. 89. Vincent. de Franc. deciſ. 243. Natt. conſil. 207. num. 4. & cum glo. tranſiuit Senatus in cauſa Roſæ, & Comelli 4. Iunij 1591. Refer. D. Senat. Sola. licet altera opinio ſecundò loco ab eadem gl. relata aliquibus verior, & æquior videretur, ratione à Pinello adducta, & quia melioris conditionis eſſet emptor, quàm venditor, contra quam iuris ratio pati videatur, cùm emptor nemine cogente ad emptionem accedat, venditor vt plurimum neceſſitate coactus vendat,

vendat, & niſi emptor, qui nunc vult reſcindere, emptioni ſe obtuliſſet, alius forſitan eodem pretio emiſſet, qui contractũ non infringeret; qua ratione mihi ſemper placuit illorum opinio, qui quò ad emptorem nullam admittunt contractus reſciſionem, niſi fraudulenter ac doloſè circunuentus fuiſſet. Vide ad mat. Deciſ. Camill. Borell. conſil. 100. per totum; vbi etiam diſſerit: vtrum minori læſo in venditione competat remedium reſtitutorium cùm habeat iſtud. l. 2. quod eſt vniuerſ.

AD DECISIONEM CLXVI.

AD *num.* 3. Iſtam, & ſequentem ampliationem ſequitur, allegata hæc deciſ. Viu. deciſ. 379. num. 12. & 6. dicens bis ita iudicatum, & vide Alex. in l. fin. in princ. colum. 4. num. 12. ff. ſi cert. pet. Bald. in cap. cum contingat. 7. concluſ. de iureiur. Ronchegall. in l. 3. §. vbi duo. num. 117. verſ. ſed his nõ obſtantibus & verſ. exterum. de duobus reis. qui tamen dicit opinionem contra ſequẽtem limitationem eſſe magis cõmunem. Sed opinionem noſtram dicit Viu. eſſe puram, & meram veritatẽ: & dico noſtram, quia fuit à me hic poſita ſequens ampliatio, cum fallentijs, vſque in finem.

AD DECISIONEM CLXVIII.

SVper hac quæſtione ſcripſi ego multa in meis centurijs feudalibus; & hanc opinionem, multis adductis authoritatibus defendi; & cum opinione de qua hic trãſiuit aliàs Senatus in cauſa Tranæ contra Donatarios, qui à Sereniſs. Principe feudi conceſſionem habuerãt: & ſcripta mea, Deo iuuante, ſi otium dabitur, poſt noſtrarum Deciſionum editionem lector habebis.

AD DECISIONEM CLXIX.

AD *num.* 2. circa conſuetudinem idẽ dicit Sola in Decre. Rempub. parte vlti. de Laudem. car. 30. nu. 6. gl. 1. & de iſta conſuetudine ſimiliter teſtatur D. Ponte. q. Laudem. 13. Aurel. Corbul. in tract. de iure emphit. tit. de cau. priuat. alien. lim. 32. Vincen. de Franch. deciſ. 482. par. 3. & cum deciſ. iſta iterũ tranſiuit Senatus in vna Taurinenſi Freylini, contra Madium. 1590. 10. Iulij. Referente D. Senatore Mayno.

AD DECISIONEM CLXX.

AD *num.* 12. *verſic. ad tertium.* Vtrũ iſta opinio, quòd pater poſſit plus relinquere filijs ſecundi matrimonij, quàm primi, ſit recipienda, multi dubitant; ſicuti & illud controuertitur an poſſit plus legare vxori, quàm vni ex liberis primi matrimonij ſit relictũ; qua de re vide Pureum deciſ. 1. lib. 2. Marc. q. 23. p. 2. Io. de Anan. conſ. 67. & ibi latè Bolognin. Dec. & Aretin. in l. humanitatis. C. de impuber. & alijs ſubſt. & quamuis I.C. in l. 4. ff. de inoff. teſt. eandem rationem conſideret in vitrico, quàm in nouerca; Volens quòd pater, qui nouercam filijs induxit nouercalibus delinimentis, & inſtigationibus poſſit corrumpi: tamen ibi loquitur quando filij in totum præterẽũtur, vel exhæredãtur; ſecus erit ſi titulo inſtitutionis ſint honorati; nam tunc valet teſtamentum, & competit filijs ſupplementum legitimæ, etiam quòd filijs ſecundi matrimonij plus ſit relictum: Ita cenſuit Senatus in vna Nicienſi. Referente D. Balbo. 1603. 5. Martij. Non eſt tamen ſine cõtrouerſia hæc quæſtio, quando legatum factum vxori eſt plenius, quã n quod vni ex filijs titulo inſtitutionis eſt relictum, vtrum tunc reduca-

reducatur legatum ad eam duntaxat ſummam, quæ minima eſt; an verò ad quantitatem legitimæ; nam ſupracitati Doctores poſt Bald. in l. hac edictali, tenuerit valere quidem legatum, ſed reſtringi ad portionem legitimæ, non habita conſideratione ad ſummam, quæ minus legitima fuerit relicta: puta ſi in teſtamento pater iure inſtitutionis reliquiſſet filio 50. & vxori ſecundæ 200. reſtringetur relictum non ad 50. ſed ad debitam portionem legitimæ. Quam opinionem communem dicit, illam ſequendo. Gabriel. de ſecun. nup. concl. 4. num. 30. Crau. conſ. 193. nu. 12. & 194. num. 5. in fi. poſt Bertrand. & alios. Sed in contrarium faciunt verba tex. in dicta l. hac edictali, in fine principij ibi, *Cui minor portio, vltima voluntate, derelicta vel data fuerit, aut donata*; per quem tex. ab opinione Bal. recedit Salicet. ibi q. 7. nu. 11. & 12. Corn. conſ. 118. num. 9. lib. 1. qui dicit intrepidè contra Bald. eſſe concludendum, quia Bald. loquitur ſine lege, & ratione; & conſ. 51. num. 4. lib. 4. Bertrand. conſ. 83. num. 9. & conſi. 124. per totum, lib. 3. par. 2. vbi nec voluit plus relictum diuidi inter filios, & nouercam, ſed totum applicari filijs primi matrimonij; quod vltimum eſt contra tex. in l. quoniam præteritæ, C. de ſecun. nupt. vbi etiam vocantur in capita filij ſecundi matrimonij. Et, re vera, caſus eſt dubius, & Cæſarea deciſ. dignus; in hocque articulo variarunt Corn. Bertr. & Salic. & clara videntur pro hac poſteriori opinione verba. l. hac edictali. vbi non conſideratur legitima, ſed tantum ꝙ minus fuit relictum. Verùm ſi interpretemur Leonis Conſtitutionem, ex nouiſſima Cõſtitutione Iuſtiniani, in §. optimè, Auth. de nupt. ſuſtentabilior videbitur ſententia Baldi, quia legitima ſemper venit ipſo iure, vltra relictum; & in hoc pondero verba l. quoniam præteritæ, C. de ſecundis nupt. ibi, *danda, vel relinquenda ſunt*: Et in opinionem Bal. vti magis cõmunē, inclinabat Senatus in cauſa de Reuerdinis, 1598. me referente, cõfirmata priori ſententia eiuſdem Senatus. Cæterùm, ſi velimus amplecti ſentẽtiam, quòd per verba l. hac edictali, non habeatur ratio ſupplementi; ſed tantum ad id, quod minus eſt relictum; limitabis quãdo id, quod minus relictum eſt, fuit relictum culpa ipſius filij, puta in pœnam inobedientiæ, vel propter ingratitudinem; quia tunc erit habenda ratio legitimæ, ita videtur tex. in d. §. optimè, in fi. verſ. hoc autem plus eſt: Ceſſat enim hoc caſu ratio propter quã facta fuit l. hac edictali: nempe nouercale odium, & parentum erga filios primi matrimonij derelicta pietas; ſed oportet probare cauſas minus relicti eſſe veras; & non ſtabitur aſſertioni patris in teſtamẽto, prout dicitur de cauſis ingratitudinis. Retenta igitur opinione Bal. adfer ad illam Gabriel. duas declarationes; prima eſt, ſi filius nõ petierit ſupplementum; quia tunc nõ attenditur ſupplemẽti ratio; Mihi tamen non placet iſta declaratio, quia poſſent oriri fraudes, vt filius nollet petere, vt fraudaret nouercam. Secunda eſt, quòd non procedat opinio Bal. quando prohibetur filius, cui minus eſt relictum, plus petere; nam tunc non conſequitur ſupplementum iudicio teſtatoris; cuius prætextu Anan. Bologn. & alij ſequentes Bald. volunt attendi legitimam, & iſtam limitationem bonam, & verã dicit Crau. d. conſ. 195. nu. 12. poſt Bertr. & alios. & iuxtà illam cenſuit Senatus, in prædicta cauſa de Reuerdinis. 1. Septembris. 1597. licet apud me aliquantulum dubia pariter reddatur iſta declaratio, quia legitimę ſupplementum, non ſolùm venit iudicio teſtatoris ſubintellecto, ſed ex præcepto legis. l. omnimodo. C. de inoff. teſta. l. quoniã præteritæ. C. de ſecund. nupt. d. §. optimè, Auth. de nupt. & ibi bona gloſſa.

Ad nu. 17. in fi. Ad iſtas nouercales inſidias reſpexit idem Virg. in Georg. lib. 2. ibi.

Pocula ſi quando ſæuæ infecère nouercæ,
Miſcueruntque herbas, et non innoxia verba.

Ad num. 29. in fi. Ampliabis vlteriùs, vt habuat locum iſta opinio pro filijs primi matrimonij, etiam q donatio eſſet facta filijs, vel vitrico, in capitulis matrimonialibus, contemplatione futuri matrimonij: nam & tunc procedit diſpoſitio d. l. hac edictali. & de fraude tunc magis dubitandum, quando ita temporaneè ſpoliantur filij primi matrimonij; & ita per multa nouiſſimè oſtendit Vincent. de Franc. deciſio. 435. par. 3. vbi etiam in fine, citat, & comprobat iſtam deciſionem.

Ad num. 32. in fi. Ex hoc infertur, quòd ſi mater non zelo ſecundi viri, ſed odio filiorum primi matrimonij, ob malas verſationes erga ipſam, inæqualiter illos inſtituat, idque declaret in teſtamento, vel alia coniectura eliciatur, habebit locum iſta limitatio, & non procedet diſpoſitio §. fi. Auth. de nupt. Ita cenſuit Senatus in quadam cauſa, relata per Do. Senatorem Brocardum. 1595. 26. Maij.

AD DECISIONEM CLXXI.

AD *num. 3. in fi.* In iſtis ſcripturis Notarij, & publicis, falſitatem ex combuſtione committi, conſuluit Anchar. conſil. 173.

AD DECISIONEM CLXXII.

IN quæſtione de qua in præſenti Deciſ. plures etiam caſus diſtinguit Petra de fideicō. q. 15. nu. 133. Et ad materiā vide Fran. à Ponte conſ. 66. & 68. Et de legitima patris latè Surd. conſ. 404. lib. 3.

AD DECISIONEM CLXXIII.

A*D num. 6. poſt allegatum Virgilij locum in 4. Georg.* Adde, quòd ad hanc rem etiam alludit Phocylides, in ſuis moralibus, inquiens: *Tumulum mortuorum ne fodias, neque non videnda oſtendas ſoli, et dæmoniacam iram excites; Non bonum compagem hominis reſoluere; Animi enim manent incorruptibiles in mortuis; Spiritus enim eſt Dei vſus, et imago mortalibus. Corpus autem ex terra habemus, et omnes ad ipſam, ſoluti puluis ſumus: Aer verò iterum Spiritus recipit, etc.*

AD DECISIONEM CLXXIV.

DE materia huius Deciſ. qualiter, & quando augmentum monetæ debeatur, quoniam illa frequens, & controuerſa multùm eſt, ſcripſi ex profeſſo, & ponam in ſecunda par. deciſio. interim hic aliqua notabiliora, & remiſſiones ad eam ſubijciam. Et in primis notandum eſt, quòd opinio D. mei hic ſuper reiectione augmenti, in debito vſurario, recipitur in Senatu, quoties debitum eſt merè vſurariū; non quando ſoluitur aliquid ratione intereſſe; vel quādo debitor eſt in mora. & iuxta opin. Pilei cenſuit Senat. Pariſienſis, teſte Papon. tit. de ſolut. cap. 2. in fi. & in tit. de reſtitut. rer. indebit. deciſ. 2. vbi voluit etiam dari ſoluti repetitionem, nō obſtante quòd debitor eſſet Iuriſperitus, & Conſiliarius. Et in debitore moroſo quòd teneatur, idem Papon. in titu. de paiemans. cap. 3. Et, ſi cum mora concurrit etiam dolus, poſſet iurari in litem ſuper præteſo intereſſe, vt latè per Plot. in tract. de in litiur. §. 10. nu. 21. & ſeqq. Secundò ſciendum eſt, quòd licet regulariter, quando declaratio facta eſt augmentum deberi, ſoleat liquidatio fieri reducendo monetam ad valorem currentem aurei; quia aurum ſolum, vti dignius metallum, recipit æſtimationem, & omnia alia gubernat, & ad illius metam referuntur. l. 2. C. de ver. num. poteſta. & ita, in caſu dotis, exem-

exemplificat Afflict. deciſ. 194. & Soci. conſ. 298. &, ex antiqua obſeruantia, in hac patria fieri ſolere ſcribit Sola. in tit. de pact. inter empt. num. 85. tamen hoc procedit, quando in inſtrumento fuit promiſſa reſtitutio in auro; & præſertim ſi dictum ſit, iuſti ponderis; quia tunc fuit habita ratio auri. Papon. titu. de ſolutio. cap. 8. Sed ſi aureo ſit præfixa æſtimatio ad florenos, vel obligatio ſit facta de tot florenis, vel moneta argentea, quoniam contrahentes magis reſpexerunt ad valorem argenti, pro faciliori ſolutione, & minori grauamine; Ego crederem non eſſe habendam rationem ad valorem auri, ſed ad augmentum floreni, vel alterius monetæ argenteæ; quæ eſt in obligatione; per ea quæ dicit Didac. in tractatu de monet. cap. 7. verſic. ſupereſt. in 7. & 9. concluſio. & ita, me referente, ſæpius Senatus cenſuit; quamuis alijs Dominis meis non placeret diſtinctio bonitatis intrinſecæ, & extrinſecæ, quam multi ex Doctoribus proponunt conſiderandam, vt Benintend. deciſio. Bononien. 39. Papien. in forma libel. act. hypothecar. ſuper verbo, relaxandum, nume. 3. Guido Pap. quæſt. 493. nam quando debetur augmentum illud, debetur cum omni bonitate, tam extrinſeca, quàm intrinſeca; & illius bonitatis intrinſecæ ferè impoſſibilis eſt liquidatio, vt mihi etiam retulerunt iſti practici monetarij. Et quando per Senatum fuit commiſſa liquidatio, ſemper experti fuerunt inter ſe diſcordes. Et ſi eſſemus in debitore moroſo; quia tunc, propter moram omne intereſſe debetur, æſtimatio fiet ad ratam valoris auri, quia poteſt creditor dicere debitori, ſi ſoluiſſes debitum ſuo tempore, ego conuertiſſem in tot aureis. Et, circumſcripta mora, ſi debitor velit ſoluere in moneta currenti, & expendibili tempore contractus, non poteſt illa refutari, vt per Nattam conſi. 454. Purpurat. conſi. 290.

Sed quæro, an tunc debitor poſſit ſolutionem facere in moneta minuta, & ærosa, quæ dicitur de liga, vt in patria noſtra poteſt eſſe exemplum in ſolidis, & caballotis ducalibus; Et, ſi ſumus in debitore moroſo, res apud me modicam videtur habere difficultatem; quia moroſus debitor tenetur omne damnũ præſtare, & non poterit talem monetam ſoluere pro groſſa: prout magis communiter videntur concludere Doctores in l. Paulus, de ſolut. & in l. quod te, ſi cert. petat. quamuis Brun. de augmen. concluſ. vlt. limi. 1. in homine, qui non eſt ſolitus negotiari, dicat magis communem in contrarium. Sed ſi ſumus in debitore, qui tenetur ſoluere certo tempore, & tempore adueniente vult, pro moneta groſſa, ſoluere minutam, tunc valdè dubia videtur quæſtio; & quòd poſſit in illa minuta moneta ſoluere debitum, facit, quia ſi tempore contractus de illa ſoluiſſet fuiſſet liberatus; Vnde, ceſſante mora, non tenebitur ad augmentum; nam beneficiũ temporis eſſet illi damnoſum; & hoc præſertim ſtante conſuetudine ſoluendi, etiam egregias ſummas, in tot ſolidis, & cauallottis; & huius ſententiæ videtur fuiſſe gloſ. in l. 2. §. mutui datio. ff. ſi cert. peta. quam ſequuntur ibi, frequentiori calculo, Doctores; & de communi teſtatur ibi Alexand. num. 7. & in additio. ad Barto. ſufficit enim dari æſtimationem, cùm non reperiantur floreni in moneta vſuali, & expendibili. Caſtrenſ. in d. l. Paulus, num. 4. pro qua re videtur text. in l. Titiæ. ibi, aurum, vel pretium auri. ff. de auro & argen. lega. & in l. ſi quis argentum, C. de donat. Panor. in cap. quanto, nu. 15. de iureiur. & huius opinionis eſt Sola in d. titu. de pact. num. 72. in fi. & num. 73. & 74. Caballin. de vſur. num. 748. Vincen. de Franc. deciſio. 508. par. 3. Contrarium, quòd non poſſit cogi debitor recipere minutam monetam, vel ſolidos, tenuit per multas rationes Math. Coler. de proceſſib.

ceſſib. executiu. par.1. cap.10. num.7. & ſeqq. referens ſanctiſſimam ordinationem Imperatoris Ferdinandi de anno 1559. qua cautum fuit, vt non poſſit creditor cogi accipere vltra 25. florenos in moneta minuta. Et ego hanc opinionem veriorem, & tutiorem arbitror, quia pecunia minuta non eſt facta ad ſolutionem egregiarum ſummarum, ſed ad expendendum pro rebus minutis, & cibarijs, & pro agio monetæ groſſæ: Ideò temperamentum ſolet dari, vt iſta contrarietas tollatur, vt ſolutiones fiant pro tertia in auro, pro tertia in argento, & pro tertia in moneta minuta. Cæterùm, de his plura dicemus ſuo loco. interim vide Viui. opin.516. & poſt illum plenum conſilium Collegij Louanij. Ioan. Rayn. de monet. Pinell. ad rubr. de reſcind. vend. cap. 3. num.21. & ſeq. Socin. iun. conſil.44. num.6. lib.4. Grammat. conſi.12. Aretin. conſi.112. Rebuff. de liter. obligator. artic.5. gloſ.1. Bald. conſi. 215. lib.1. Boſſ. de monet. Gabriel. de ſolut. concluſ.1. Nat. conſ.664. Menoch. conſil.49. Ioan. de Plat. in l.2. C. de vet. numiſmat. poteſt. lib.11. Ozaſc. deciſ.174. Calcan. conſi.14. Alciat. conſi.155. & Annęum Robert. rerum iudicatarum, lib.1. cap.16. & eſt nouiter impreſſum conſilium D. Gaſparis Belletiæ Aduocati Taurinenſis acutiſſimi inter Commentaria Solæ ad noua Decreta, poſt tractatum de monetis. Quid autem dicendum ſit in penſionibus, cenſibus, & alijs obligationib. dixi in dicta ſecun. par. & vide Ioan. Galli. q.302. Curt. iun. conſ.24. Rube. conſ.17.

AD DECISIONEM CLXXVI.

A *D princ. in verſic. primum remedium.* Adde ꝙ illum Saluium Iulianum, de quo eo loci fit mentio, Iuſtinianus vocat ſummæ authoritatis hominem, in l. ſi quis ſeruum, C. de cond. indeb.

AD DECISIONEM CLXXVII.

A *D num.* 1. Adde quòd inter miſerabiles perſonas connumerabuntur etiam illi, qui ſunt auxilio proprio deſtituti, expoſiti, & morbo, vel ætate impediti, de quibus omnib. loquitur Speculator de inſtrum. edit. §. nunc verò aliqua, num.62. & aliqui addunt etiam, inter iſtas, meretricem. vide latè nouiſſimè D. Menoch. in addit. ad lib.2. de arbitr. iud. caſu 66.

Ad num. 3. Hoc eodem iure vtitur Camera Imperialis, vt teſtatur Andr. Gail. lib.1. obſeruat. cap.1. num.40. quamuis Roland. conſ.20. lib. 2. conatus fuerit ſuſtinere contrarium.

Ad num. 4. Adde quòd hanc quæſtionem, poſt eundem Carau. proponit Vincent. de Franch. deciſ.257. in fi. par.2. qui nihil reſoluit; ſed cum illa ampliatione tranſiuit, in facti cōtingentia, Senatus, motus, arg. l. vbi ceptum, de iudic.

Ad num. 6. Opinionem de qua hic ſequendo Afflic. & Neuiz. circumſcripto Decreto, ſequutus fuit Senatus, in cauſa Ternauaſij, referente D. Senatore Ferrerio, ſine Inciſa. 1590. 17. Auguſti, cùm hoc caſu non obſtaret illud decretum antiquum, quia nō procedebat in Marchionatu Salutiarum.

Ad num. 9. Idem iudicauit iterum Senatus in alia cauſa Salutiarum, relata per eundem collegam noſtrum D. Senatorem Ferrerium. 1591. 16. Martij. non obſtantibus capitulis concordatis à Sereniſſimo Duce hominibus dicti Marchionatus, quem nunc quietè poſſidet, vt cauſæ non extrahantur pro prima cognitione, extra Marchionatum.

Ad num. 13. Cum eadem opinione, quod priuilegium l.1. C. quando Imp. procedat etiam in terris Vaſallorum, tranſiuit Senatus Mantuanus, teſte Surdo conſ.152. col. fin. Quod autem hic dicit de vidua, ſolet limitari ſecundum aliquos,

quos, vt non habeat locũ in vidua luxurioſè, & inhoneſtè viuente, vt per Vinc. de Franc. deciſ. 133. poſt Iacob. Iſern. & Didac. & licet ibi fuerit per Conſilium iudicatum cõtrarium; tamen illud fuit propter cõſtitutiones illius Regni, per quas illæ meretrices dicuntur miſerabiles. Ideò verum eſt, in ſimilibus perſonis, non militare, nec attendi illam miſerabilitatem; quia prouenit ex peccato; Niſi vltra viduitatem concurreret paupertas; tunc enim non illa ratione quòd ſit vidua, vel meretrix habebit ſo ri priuilegium, ſed quia pauper. Ad omnium quæſtionum huius deciſionis materiam vide Menoch. omnia comprobantem hic dicta, in dicto caſu 66.

AD DECISIONEM CLXXVIII.

AD *num. 6. in fi.* In hanc rem optimè cõferunt, quæ ſcribit Ioſeph. Cum. in ritu magnę Cur. Sicil. c. 54. nu. 110. & ſeq. & ad hunc calorẽ iracundię, de quo in iſta deciſ. reſpiciens Senatus in quadam cauſa Valpergiæ, dum eſſet inquiſitus quidam, quòd certam mulierem cum ſecuri occidiſſet, eo quòd repererat incidentem ligna, in quodam ſuo prædio (licet faſſus fuiſſet illuc animo deliberato occidendi acceſſiſſe, ſi reperiret illam ligna incidere) cenſuit malè per Iudicem condemnatũ ad mortem; & mitigauit pœnam ad triremes perpetuas. 1600. prima Iulij.

AD DECISIONEM CLXXIX.

AD *num. 4. in fi.* Eandem opinionem ſequutus fuit Senatus me patrocinante, cum D. Præſide Menoch. in quadã Aſtenſi de Mulatijs, contra RR. Monachos Gratiarum eiuſdẽ Ciuitatis. 1590. menſe Iulij, referẽte D. Senatore Sola; quæ ſententia fuit in reuiſione confirmata per totum Senatum. 1591. referente D. Senatore Humolio; non enim præſcribitur directũ dominium etiam poſt 40. annos, quando de illo apertè conſtat; cùm Dominus directus poſſideat ſemper miniſterio emphyteotæ, & poſſidenti non curtat præſcriptio. gl. in l. malè agitur, & ibi Bal. nu. 6. C. de præſcript. vbi limitat niſi poſſeſſionem primo interuerteret. Bart. in l. 3. §. ex contrario, nu. 4. ff. de acquir. poſſeſ. Caſtr. in l. 1. nu. 12. C. de ſer. fugit. Spec. in tit. de loca. §. nunc aliqua, verſic. 44. vbi ait, ꝙ etiamſi per mille annos emphyteota poſſederit abſq; ſolutione Canonis, eũ non præſcribere directũ dominium; cuius meminit apoſtil. ad G ii. Pap. q. 412. Iaſ. in l. 1. nu. 46. C. de ſer. fug. & de hoc eſt text. in l. cum notiſſimi, §. fin. C. de præſcrip. 30. ann. & quòd præteritæ tantum penſiones pręſcribãtur, tenuit Bal. in d. l. malè agitur, num. 5. Iaſ. in l. 2. num. 72. & 156. C. de iure emph.

AD DECISIONEM CLXXX.

AD *num. 2. in fi.* Hæc opinio Domini mei hic, quòd tempore ſęuiẽtis peſtis, valeat teſtamentum cũ minori numero, etiam quinque teſtium, modò teſtamentum ſit receptum per Notariũ, eſt ſæpius à Senatu recepta; dum ſuper validitate multorum teſtamẽtorum (quæ fuerant facta in hac Ciuitate Taurini, dum de anno 1599. adeò ſæuiret morbus, vt arces, & portæ Ciuitatis ſine cuſtodibus remanerẽt) contigiſſet diſputari, & ita cenſuit in cauſa Trucchettæ contra Mainettum, referente Domino Senatore Brocardo. 1601. 13. Aprilis; in qua quatuor tantum teſtes erant adhibiti; & fuerunt illi teſtes admiſſi ad probandum legatum, de quo nihil dictũ fuerat in teſtamento, per doctr. Bart. in l. errore. C. de teſtam. & in l. fideicommiſſorum, C. de fideicom. quam examinat Barbat. conſ. 29. lib. 1. & de hoc tẽpore ſęuientis peſtis arbitror intelligendum Decretum

nouum

nouum Sabaudiæ, in titu. *delle proue.* quo cauetur, vt tempore peſtis ſufficiant tres teſtes ad probandum teſtamentum, & hanc opinionem Magdal. vult ſine difficultate procedere in teſtamentis officialium, qui fuerant deputati ad curam Ciuitatis eo tempore, in tracta. de num. teſt. in teſtam. requiſ. cap. 20. qui etiam voluit eiuſdem tract. par. 3. cap. 3. num. 47. teneri, in foro cõſcientiæ, venientem ab inteſtato ſeruare voluntatem defuncti minus ſolemnem, quando eſt benè certus de illa; quod probat per multas rationes, & auctoritates. Vide ad materiam Maſcard. de probatio. concluſio. 1353. nume. 18. lib. 3. Annæum Rober. rerum iudic. lib. 2. cap. 10. An autem mulieres admittantur in teſtes, in teſtamentis factis tempore peſtis dubitatum fuit. Et quamuis Alexand. ad conſil. 70. & 177. lib. 2. conſuluerit non admitti; Senatui tamen placuit cõtraria opinio, pro qua iudicatum teſtatur Crot. de teſtib. circa prin. num. 12. Iaſ. in l. fin. num. 3. C. de teſtibus, dicens æquiorem. Papon. lib. 20. tit. 1. areſt. 1. Bened. in c. Raynutius. in verbo. teſtamentum. nume. 67. & ita iudicatum in cauſa Taurinen. Chiampi 1603. 29. Maij.

AD DECISIONEM CLXXXI.

AMplia quòd hic dicitur de exequutione ſententiæ Senatus, vt habeat locum, etiamſi non ſit præſtita cautio, poſt interpoſitam reuiſionem, donec ſit inhibitũ; quia iudex poteſt ſemper procedere donec per ſuperiorẽ Iudicem illi fuerit facta inhibitio; quæ inhibitio ſolet fieri in litteris reuiſionalibus, cum illa clauſula, donec cautũ; quia, præſtita poſtea cautione, proceditur ad exequutionem; Et ita cum iſta ampliatione eſt intelligendum. Decretum noſtrum, per quod ſententijs Senatus conceditur exequutio, media cautione, ad for. Auth. quæ ſupplicatio. C. de prec. Imp. offeren. & cum hac ſententia tranſiuit Senatus. 1593. 15. Iulij. in cauſa relata per quondam Collegam noſtrum acutiſſimum, & vigilantiſſimum, ac in proceſſuum relatione exquiſitum, D. Senat Ferrerium ab Inciſa; contra ſcripta per D. Solam, ad Decr. nou. tit. de mod. & for. ſupplic. num. 65.

AD DECISIONEM CLXXXII.

AD *num. 2. in fine.* Contra regulam hic poſitam, quòd in mulcta pecuniaria contra Fiſcum non ſit locus ceſſioni, facit quædam noua conſtitutio Iuſtiniani, quæ ponitur à Contio, in ſi. tit. C. de cuſtod. reorum. vbi in pecuniaria condemnatione poteſtas datur condemnato cedere bonis: ſed cùm illa conſtitutio non ſit in antiquis codicibus, non erit in deciſione cauſarum attendẽda: Et regulam iſtam firmat Menoch. in addit. ad lib. 2. de arbitr. iudic. caſu 447. qui, & pro quæſtione ſequenti refert nouam Mediolanenſis Senatus deciſionem.

Ad num. 4. Hæc vltima opinio, quòd ceſſioni locus ſit, in cõdemnato, erga partem læſam, apud me ſemper fuit dubitabilis; neque Ludouic. à Peguera, à Domino meo hic allegatus, tenet iſtam partem, ſed contrariam, & dicit iudicatum, in illo Conſilio Regio, contra cõdemnatum, cui fuit ratione impotentię ſoluendi, commutata pœna ad bannũ; & hæc opinio eſt magis communis; & in iure ſuſtentabilior: per tex. in dicto cap. finem litibus. & in l. ob fœnus. 49. ff. de adm. tut. vbi, tutor qui ſoluendo nõ eſt, ob malam adminiſtrationem, corporaliter punitur. & Pegueram noniſſimè ſequitur Vincent. de Franch. deciſ. 358. par. 2. & deciſ. 507. par. 3. qui dicunt id fortius procedere, quando pars oppugnat petitam ceſſionem; Et hanc eandem opinionem, multis Curiæ Pa-

riſienſis

Digitized by Google

...ienſis placitis firmatam eſſe, teſtatur incertus Auctor lib. 11. placitor. Cur. ti. 18. dicens ita generaliter obſeruari; pręſertim quando pars, nec ętiam mutationi pœnæ conſentit: de qua re plura ſcribit Peguera dicto capit. 6. num. 13. Verùm, cùm iterũ in Senatu, ſuper hac quæſtione diſputari contigiſſet in vna Cherienſi Rochi, & Penatij, noluit Senatus recedere à mitiori, & humaniori ſententia; & ab iſta Deciſ. & cenſuit cõdemnatum erga quoſdã pupillos propter homicidium commiſſum in perſonam illorum patris ad intereſſe, eſſe admittendum ad petitam ceſſionem, & cùm ille condemnatus eſſet Doctor, & filius fam. dixit admittendum etiam ad ceſſionem, ſalua honeſtate, 1597. prima Iulij. Referente Domino Senatore Lelio. & ad tex. in dicta l. ob fęnus. quẽ ego allegabam, reſpondebant alij Domini, quòd erat ibi caſus ſpecialis, in odium tutoris doloſi; & quòd loquitur de pœna erga Fiſcum ob vindictam publicam; & Senatus eò magis inclinabat in iſtam ſententiam, quia fit melior cõditio creditoris ex ceſſione, quàm ex commutatione pœnæ; nam facta ceſſione non liberatur debitor, ſi perueniat ad pinguiorem fortunam; ſed ſi commutetur pęna non ampliùs tenetur ſoluere; & ad d. l. ob fęnus, reſpondet Papon. quem poſtea vidi, lib. 10. titu. 10. Areſt. 13. qui etiam refert diuerſas ſententias, & caſum remittit Iudicis arbitrio. Areſto. 8. &, me referente iterum eandem ſententiam, ſequutus fuit Senatus totus, in vna Aſtenſi Crucis contra Eccleſiam. 1600. men. Decembris, & vidi admiſſas iſtas ceſſiones, etiam in odium Fiſcalium, & carceris cuſtodũ, pro illorum vacationibus, & expenſis. Quid autem dicendum ſit in fideiuſſore. vide Franc. in d. deciſ. 507. & vtrum ſit admittenda ceſſio, quando quis eſt debitor patrimonij Principis ratione contractus, vt in conductoribus vectigalium, Vide Franc. de Claper. in ſua centur. cauſar. fiſcal. cauſ. 19. q. vn. qui tenet quòd debet admitti talis debitor ad ceſſionem; & ita fuiſſe per Curiam ſupremam Aquenſem iudicatum teſtatur; & credo illum benè dixiſſe.

AD DECISIONEM CLXXXIII.

IN *fi.* Cum ſimilis cauſa iterum fuiſſet propoſita in Senatu noſtro, Refer. D. Senat. Mina, congregatis claſſibus, dum ageretur de cauſa reuiſionis, & dubitaretur de illa conſuetudine allegata, quòd maritus mortua vxore ſine liberis lucratur dimidiam dotis; cenſuit Senatus confirmandam priorem ſentẽtiam, per quam fuerat declaratum, probatam eſſe, & notoriam conſuetudinẽ totius patriæ Ciſmontanæ, quòd maritus, etiam momento ſuperuiuens, lucretur dimidiam dotis, exceptis his locis, in quibus ſtatuto, vel contraria cõſuetudine aliter prouiſum eſſet 1586. in cauſa Domini Cumianæ, & Dom. Tranæ; in qua cauſa cum Dominus Cumianæ probaſſet in loco Tranæ extare particularem conſuetudinem, de nihil lucrando, dictum fuit maritum, ſiue illius hæredes teneri totam, & integram dotem proximioribus mulieris reſtituere. Vide dec. conſil. 483.

AD DECISIONEM CLXXXIV.

AD *num.* 2. *in fi.* Adde quòd huius opinionis, quam & ſequitur Alex. conſil. 158. lib. 5. præcipuum fundamentum eſt illud, quòd ſtatutũ poſſit tollere diſpoſitionem l. hac edictali. prout conſuluit Alba. conſi. 569. lib. 3. atque diſponere vt vir lucretur dotes, etiam in præiudicium filiorum primi matrimonii, prout diſponit Decretum Montisferrati, & hoc voluerunt in ſpecie Dec. conſi. 19. Nat. conſ. 308. Rolan. de lucr. dot. q. 30. & 31. Surd. conſil. 91.

Boer.

Boer.deciſ.208. Cæphal.latè conſ.299. & 300.Carpan.ſuper Cõſtitut. Mediol. cap.290.num.134. Et cum iſta opinione tranſibat Senatus, in cauſa Aſtenſi, ſuper ſtatuto illius Ciuitatis, incipiente. *Deteſtanda*.de quo ſcripſi deciſ.759. quam ponam in ſecunda parte deciſio. quamuis Decium reprehendant moderni Pariſienſes ad conſ.283. dicentes ipſum ſemper peſſimè conſuluiſſe contra filios primi matrimonij, nimis ſophiſticando, & cauillando. Vide ad hanc rem Chriſtofor.Caſtill.conſil.16. Magon.deciſ. Flor.107.Caſtr.conſ.192. lib.1.& 368.lib.2.Alciat.Bellon.& Menoch. quos cum alijs refert Surd. dicto conſ.91. Decian.conſ.48.lib.4.Paul. de Monte Pico. conſi.86.num.31.& 32.& conſ.106.Riminald.iun.conſi.484. nume.24.Zaſ.conſi.5.num.65.& 66.Scot. conſi. 30.

Aduertendum eſt tamen in hac materia, quòd ſi ſtatutum ſit factum cum illis verbis, *etiam extantibus liberis ex primo matrimonio*, ita quod deferat lucrum marito, in illorum præiudicium, vt eſt in ſtatuto præſentis Ciuitatis Taurini, res eſt multùm dubia, an tunc ſit per filios, ante patrem, detrahẽda legitima; quia ſtatutum poteſt tollere legitimam hoc caſu, vt dixit Dominus meus hic, & expreſsè tenet Rolan. de lucro dot. quæſt.24.quòd ſi tollere, multò magis minuere poterit, aliàs ſtatuti verba nihil operarentur; quia non haberet vir, extãtibus liberis, integram dimidiam. Sed pro contraria opinione reſpondetur,quòd illa verba non ſunt ſuperflua, quia ſunt poſita ad tollendam dubietatem quæſtionis, an extantibus liberis, ſtatutum diſponens de lucro dotis,haberet locum contra l.hac edictali, non autem,quòd contra ius filiorum, ſuper legitima,velit prouidere;Sunt enim,in hac tractatione, duo, quæ fauore filiorum proponuntur;primò,ius legitimę, quæ de iure debetur; ſecundò,ius quod illis tribuit Imperator in dicta l. hac edictali. ne vir conſequatur plus quàm vnus ex liberis primi matrimonij, cui minus ſit relictum.itaque ſtatutum ſimpliciter diſponens de lucro dotis,tollit quidem ius,quod habet filius virtute l. hac edictali. ſed non ius naturæ, per qđ legitimam conſequitur; & cùm de illa ſtatutum nihil dicat, remanet res ſub diſpoſitione iuris communis. Quapropter ego, ad tollendas iſtas difficultates, & varias Doctorum, ſuper hac re contendentium, diſſonantias, & contrarietates, diſtinguerem; quòd,aut ſtatutum dicit quòd vir lucretur totam dotem, etiam extantibus liberis ex primo matrimonio,& tunc detrahenda ſit legitima: Aut ſtatutum dicit, quòd lucretur dimidiam, vel certam partem dotis;& tunc non eſſe detrahendam legitimam: ſtatutum enim quod diſponit de lucro totius dotis, extantibus liberis ex primo matrimonio,eſt penitus iniquum, & contra omnes regulas iuris communis, vt dicit Curt. & interpretationem debet accipere à iure cõmuni, vt procedat, ſalua legitima, iure naturæ debita;Sed quando loquitur de dimidia,ſeu certa parte dotis,tunc vult limitare rigorem iuris, de quo in d.l. hac edictali: vt ſaltem vſque ad illam ſummam,non obſtante iure communi, vir lucretur partem dotis,& hæc diſtinctio continet iuſtitiam, & æquitatem; ſunt quippe valdè diuerſa, pars quę ſpectat ex l. hac edictali, quæ dicitur lucrum,& portio legitima;vt in propoſito ſatis pulchrè oſtendit Florian. in ſua diſputat.prima. num. 15. Cuius dicta multum conferunt ad deciſ. Domini mei hic, & in fine dicit, opinionem Bar.quæ pro filijs eſt,ſibi videri de iure veriorem.

Sed, quid ſi ſtatutum dicat ſimpliciter, q premoriente vxore ſine liberis maritus lucretur dimidiam, nulla de liberis primi matrimonij mentione facta, an tunc lucrum veniet integrum, ſine diminutione, ad maritum, ſi extent liberi ex

ri ex primo matrimonio? (prout diſponit ſtatutum Foſſani, de quo mentionem facit D. meus infra deciſ. 269. vbi poſita ſunt verba.) Et ego, hoc caſu habeo pro indubitato, maritum non lucrari in præiudicium filiorũ primi matrimonij, quos, ad excluſionem mariti, verba etiam poſſunt compræhendere. & ita, poſt multos, tenuit in hoc articulo. Brun. de ſtatut. art. 6. princ. queſt. 26. verſic. illud autem. ſub num. 316.

Si verò ſtatutum addat illa verba *ſine liberis ex eo matrimonio, vel ſine liberis communibus*. tunc magna eſt difficultas: & cùm hæc quæſtio verteretur in Senatu ſuper ſtatuto Villęfranchæ Pedemõtium, Domini dubitabant; Nam tunc cẽſetur expreſsè derogatum. l. hac edictali; & maritus lucrabitur dimidiam, vel etiam totam dotem, ſecundum verba ſtatuti, etiam non obſtantibus liberis ex primo matrimonio, nulla detracta legitima; prout in ſpecie conſuluerunt multi, quos ſequitur, & refert Rolan. de lucr. dot. quæſt. 30. & 32. vbi latè examinat, & iſtam defendit opinionem multis argumentis; & in iſtis terminis concludit, ſuper illo ſtatuto Foſſani, D. Crau. conſi. 588. & 589. Sed in contrarium ego dicebam eſſe animaduertendum, quòd multi ex Doctoribus allegatis per Rol. & Crauet. non ſtant pro hac ſententia, nam in primis allegatur Bal. conſ. 495. lib. 5. qui concludit nullam detrahi legitimam, etiã ſuper tota dote; motus illa ratione, quia ſtatutum in hac parte eſt fauorabile, vt mulieres inueniãt maritos; qua ratione motus fuit populus Florẽtinus in ſuo ſtatuto, vt teſtatur. Caſtren. qui fuit vnus ex compilatoribus, in l. 1. C. de inoff. dot. Sed idem Bal. contrarium conſuluit, quo ad legitimam, in conſil. 273. lib. 5. & in cap. 1. An mar. ſucced. vxo. in feud. Item allegatur Fulgoſ. cõſil. 89. Domina Catherina. Sed Fulgoſ. hoc tenet, modò filij legitimam conſequantur, & quoniã ſtatutũ loquitur tãtùm de dimidia. Imò ipſe Fulgoſ. contrarium tenuit, dum ſubſcripſit cõſiliũ Cumani 109. qui loquitur in fortiori caſu, quando ſtatutum dicit virum lucrari dotem, etiam extantibus liberis ex primo matrimonio. Tertiò allegatur Dec. in conſil. 283. qui loquitur in caſu, quãdo ſtatutum dicit quòd vir lucretur dotem, præmoriente vxore ſine liberis communibus. Sed Dec. ibi conſuluit, ſuper ſtatuto Mediolani, quòd reſeruat ius liberis primi matrimonij; & Dec. malè conſuluit, vt teſtantur ibi Moder. & Pariſ. Vlteriùs allegat Ruin. conſ. 61. lib. 3. Sed ille, ſi benè ponderetur, tenet contrarium, licet. n. ſub nume. 10. & 11. velit, ex forma talis ſtatuti, maritũ lucrari integrã dimidiam; tamen hoc vult procedere, ſi ex alijs verbis ſtatuti hoc colligatur, vt erat in ſuo caſu; ſecùs ſi ſimpliciter de liberis communibus mentionem fecerit ſtatutum; nam tunc nu. 13. tenet contrarium cum Bal. in d. cap. 1. Præterea allegatur Pau. de Caſtr. conſ. 192. lib. 1. Sed ille loquitur, quando ſtatutũ vlterius progredit; &, ſaltem per claras coniecturas, apertè conſtat ſtatuentes voluiſſe derogare diſpoſitioni l. hac edictali. Socin. iun. qui etiam pro hac adducitur parte, in conſil. 52. lib. 3. contrarium tenuit in conſ. 35. lib. 4. cui non benè reſpondet Pariſ. cõſ. 91. lib. 3. & licet Crauettæ addãtur Bologn. in add. ad cõſ. Anan. 23. num. 6. Alc. conſi. 88. & Menoc. conſ. 4. tamen illi non ſunt admittendi contra communem, & tot rationibus fulcitam opinionẽ. & Menoch. loquit in ſtatuto Papiæ, vbi clara ſunt verba. Ex quib. cũ ſint oẽs authoritates in contrariũ allegatæ ſublatæ, non erit recedendum ab opinione illa, quòd fauore filiorum, in ſpecie talis ſtatuti, ſit detrahenda legitima. pro qua ſtant oẽs Docto. allegati in iſta deciſ. & Cap. conſ. 64. & pro ea dicit Brun. de ſtat. d. q. 26. verſic. & vbi eſſemus. ſub num. 317. in fi. in facti contingentia obtinuiſſe. &, inter cæteros,

Parũ erit in hoc articulo credẽdũ. Rol.
quia ille tenuit opinionẽ contra filios;
quia viduã duxerat, habentẽ liberos ex
primo matrimonio.Et reuera,nõ video
quare non cõpetat, etiã hoc caſu, que-
rela inofficioſæ dotis, quam Doctores
præbent filijs primi matrimonij,ad cõ-
ſequendam portionem legitimæ,in l.1.
C.de inof.dotibus,& Brun. allegat pro
hac opinione Curt.ſen.conſ.78.qui cõ-
ſuluit in fortiori caſu; nempe in ſtatuto
Papiæ, ꝙ facit mentionẽ de liberis prio
ris matrimonij; & vult non cenſeri de-
rogatum.l.hac edictali.niſi clarè,& ex-
preſsè in ſtatuto de illa,mẽtio facta fue
rit,ꝙ ſentit expreſsè Iaſ. in Auth. p̃ter-
ea.nu.15.verſ. pro veritate.C.vnde vir,
& vx. &, poſt multos Bertrand. in d.l.
hac edictali.n.47.& ſeqq. & nu. 52.di-
cit hanc partẽ eſſe verã & cõem, & ego
teneo veriſſimã,ſicut Euãgeliũ; Et pro-
pterea in cauſa ꝑdicta;licet maior pars
dñorũ,qui ſingulos Doctores non benè
ponderauerãt, inclinaret pro opinione
Crau.& Rol. quia ſtatutum diſponebat
tñ de dimidia, & non de tota dote, &
aderat vnus tantùm filius;multi tñ me-
cum tenebant contrariũ; ſed pro maio-
rib.votis fuit, de more, iudicatũ.1597.
25. Februarij,Refer. D. Humolio. vide
Nat. conſ. 308. qui loquitur,ẽt quo ad
legitimam contra filios, & alios quos
adfert Meno. lib. 6. præſumpt. 38. nu-
me.31.& ſeq. & conſ.4.num.15.

Sed quæro,quid dicendũ,qñ ſtatutũ dicit,
quòd vir lucretur dimidiã, etiam extã-
tib.liberis ex primo matrimonio,prout
diſponit ſtatutũ Taurini, de quo dixit
D. meus in proxima antecedenti De-
ciſ.? Et Senatus cenſuit, non lucrari eo
caſu maritum ad formam ſtatuti, quia
eiuſmodi ſtatutum exorbitat à iure cõi.
Ozaſ.deciſ.21.nu.11. in ſtatutis autem
à iure exorbitantib. non fit extẽſio, ſed
intelliguntur, prout litera iacet, vt di-
cit idem Ozaſ.ibi.nu.12. & 14. præſer-
tim qñ ratio ſtatuti non eſt certa, ſed
coniecturalis, & dubia; & pro hac ſen-
tentia, recolendæ memoriæ D. Præſes
Cerua, multa adducebat, reſpondendo
contrarijs, & ego ponam in ſecunda
parte,& eſt in manuſcrip.dec. 753.

In cauſis autem ſupra ſcriptis, & in alia,
quæ agitabat̃ ſuper ſtatuto Pinarolij,
quęſitũ fuit, àn iſta ſtatuta de lucro do-
tis habeant locũ in forenſe.Et quidem,
ſi mulier ipſa ſit forẽſis, res videtur ha-
bere modicam difficultatem.& Rol.de
lucr.dot.tenet,q.13. procedere diſpoſi-
tionem ſtatuti.& illius opinionem cre-
do verã, qñ mulier habitat in loco vbi
nupſit,aliàs quæſtio non eſſet ſine diffi-
cultate, vt colligitur ex dictis ꝑ Caſtr.
conſ.368.lib.2. & mulier nubens debet
certiorari de tali ſtatuto. Maius eſt du-
biũ, qñ filij primi matrimonij ſunt fo-
renſes; & marito,qui vult vti beneficio
ſtatuti,obijciunt quòd illud nõ valet in
eorum præiudicium, & cùm hæc quæ-
ſtio tractaret̃ in Senatu, in cã de Truc-
chiettis de Pinarolio,dicebatur per ali-
quos rem eſſe clarã fauore filiorum pri
mi matrimonij, per ea quæ ſcribit Rol.
de lucr.dot.q.36.Sed contra Rol. addu-
cebatur Phanut.de lucr.dot.glo. 9. nu-
me.34.& 35.& glo.5.nu.40. vbi diſtin-
guit,an filij ſint hæredes, vel non, poſt
Dec.conſ.19.col.pen.verſ.nec obſtat.&
Io.de Amic.conſ. 3. pro Rol. opin.quã
ẽt Caſtr. per eum allegatus, fuit ſequu-
tus,ſtringit multùm, quia ſtatutum il-
lud Pinerolij,vel aliud ſimile,diſponẽs,
quòd vir lucretur dotem ẽt extantibus
liberis ex primo matrimonio, non po-
teſt compræhendere perſonã ſtatuenti-
bus non ſubditã,& ſuum dictum confir
mat Rol.conſ.24.nu.29.lib.3. qui alle-
gat Rim.ſen.in conſ.30.n.14.ſed Rim.
non loquit̃ in hoc caſu,ſed qñ ipſe ma-
ritus eſt forenſis,faciunt tñ ibi allegata
ad rem nr̃am. & huic opi.addo Mazol.
cõſ.121.nu.14.15.& 16.Didac. de ſpõ-
ſalib.par.2.c.7.ad fi.Magon. deciſ. Flo-
ren.107.nu.10.& ſeq.Rim.iun.cõſ.484.
nu.28.Menoc.conſ.469.nu. 8. Lancell.
Galia,conſ.50.nu. 60, dicens hanc opi-

nionem

nionem veriorem, & in iudicando non eſſe ab illa recedendum. Cõtra Rol. verò facit, quòd ſtatutũ loquitur, de reb. ſæpe de dote mulieris; & eo caſu ligat oës, quo ad bona ſita in iuriſdictione ſua, & foreuſes, vt dixi ſupra in deciſ. 106. & in terminis conſuluit Natt. conſil. 148. & ſeq. & conſ. 531. nu. 23. qua ratione peſſimè loquutos Doctores, cõtra Rolandũ ſcribẽs, dicit D. Cauagnol. ad Decr. Montisfer. Decr 74. §. 3. q. 1. nu. 8. & contra Caſtren. tenuit Brun. de ſtatu. art. 6. latè concludens, quòd ſtatutũ ſiue loquatur in rem, ſiue in perſonam, & iſtis in caſibus procedit, etiam in odium forenſium. Verum, re maturè diſcuſſa, pro opin. Rolan. vti æquiore fauore filiorum cenſuit Senatus, in dicta cauſa 1600. 10. Octobris, cum non ageretur de dote data in ſtabilibus, ſed in pecunia; motus præcipuè illa regula generali, quòd ſtatuta eiuſmodi nõ porrigunt vires ſuas extra territoriũ ſtatuentiũ, vt per Surd. poſt multos. conſ. 63. nu. 50. Rol. q. 20. Ego tamẽ credo, veriorẽ opinionẽ contra Rol. quã & ſequit Surd. conſ. 91. per totum. Et cũ in reuiſione, congregatis de more claſſib. res fuiſſet iterum propoſita, Domini dubitabant de illa opin. Rol. ponderando rõnes, quas contra filios forẽſes conſiderat Surd. præſertim qñ mulier, de cuius ſucceſſione agitur, eſt nupta in loco ſtatuti, & pecuniã habebat in loco; ſuper qua, nulli dubium, quòd ſtatutũ poterat diſponere, etiam in odiũ filiorum forenſium; & mulier, & forẽſis, per illã habitationem efficitur ciuis, vt per D. meũ ſupra, deciſ. 123. num. 10. & ſic erit, tàm ipſa, quàm bona ſua ſubiecta iuriſdictioni ſtatuentium. vt per Decian. conſ. 55. num. 5. lib. 1. ſed illa cauſa nõ fuit reſoluta, quia cũ ageretur inter quoſdam affines meos, curaui, vt cõponeretur, & fuit ſuper ea tranſactum. Et, quòd ſuper immobilib. vxoris, procedat ſtatutũ de lucro dotis, & quòd illa immobilia ſint extra territoriũ ſtatuẽtiũ. voluit Rui. conſ. 165. num. 4. lib. 4. Bal. conſil. 208. lib. 3. Iaſ. in l. cunctos populos. in prima lectu. nu. 29. C. de ſumm. trin. Alex. conſil. 141. num. 17. lib. 7.

AD DECISIONEM CLXXXV.

QVid agendum, quando reperta fuit mẽſura defectuoſa, vide P. de Beinntend. deciſ. Bonon. 50. per totam.

AD DECISIONEM CLXXXVI.

AD *num. 4. in fi.* Quamuis, de iure, vera ſit opinio, Principẽ ſecularẽ, cõtra iuramentũ nõ poſſe inducialeſ litteras concedere, quam &, vltrà ſupra citatos, tenet Ferrat. caut. 55. conſuetudo tñ eò rem perduxit, vt iſtæ litteræ paſſim à ſecularib. concedantur; quam conſuetudinem, niſi miſeratio notoria, & vera ſit, ego ſemper reprobaui, & peccati cauſam præbere Principes tales litteras concedentes ſum arbitratus; licet conſiliarij defendant iſtam conſuetudinem; ſub eo prætextu, quòd nõ tollatur iuramentum, ſed fiat inhibitio, ne debitor à creditore moleſtet, & ſic nõ diſpẽſat contra iuramentum; ſed, per indirectum, remouet effectum iuramenti. Vide Alc. in c. cũ cõtingat. nu. 164. de iureiur. Cæterum monitos velim D. Conſiliarios, qui tales litteras concedũt, vt non ita faciles ſint in conceſſione, quia hæ res priuãt cõmercia inter ſubditos, & datur materia frangendi fidem, qua nihil clarius hominib. eſſe debet, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo; & præſertim nullo modo contra venditores, & locatores bonorum ſuorum ſunt cõcedendæ, quia ineſtimabile damnũ afferunt, cùm venditiones, & locationes fiant pro habenda in promptu pecunia. Et quòd Princeps poſſit cõtra iuramẽtum diſpenſare tenuit Gu. pp. q. 194. & poſt multos Burſat. conſ. 364. num. 30. lib. 4.

libro 4. & quoniam iſtæ induciæ non ſunt de rigore iuſtitiæ, ſed ex gratia conceduntur, & impetrantur à Conſilio per ſignaturam gratiæ, & à Senatu non conceduntur, niſi ad plus 50. dies, illis; qui debitum fatentur, & qui ex aliqua vrgenti cauſa non poſſunt cōmodè ſoluere. Quæri tamen poteſt an in illa 50. dierum dilatione obtinenda ſit neceſſaria cautio, prout requirit in alijs iudicijs: & videtur negatiuè reſpondendum, quia miſeratio illa debet et excuſare à cautione. & ita in facti cōtingentia reſcripſit Senatus; ſed egò id totum arbitrio Iudicis relinquo, qui, et ſine cauſa, tempus iudicati coarctare, ſecundum qualitates perſonarum poteſt l. 2. vbi glo. ff. de re iudica. & in l. ſi debitore. de iud. &, ſi dubitaretur de fide, vel facultate debitoris, tunc eſſet cōcedenda dilatio, cum cautione; licet in facti contingentia, (vt mox dixi) Dñs. olim Præſes Cerua, per tex. in d. l. ſi debitore, indiſtinctè ſuſtineret ſemper eſſe præſtandam cautionem: ſed per alios DD. dicebatur, illā legem procedere in debitore de fuga ſuſpecto, contra quem eſt prouidendum. vt per Iaſ. in §. ſupereſt. num. 79. & ſeqq. Inſt. de act. item nō procedere, quando dilatio datur virtute legis, vel Decreti, quo ſtante, ex ſtylo, nulla dat cautio, & ita reſoluebatur per Senatum 1590. 9. Martij.

AD DECISIONEM CLXXXVII.

Vide ad mat. huius Deciſionis Gu. pp. quæſt. 488. Camill. Borell. conſil. 56. per totum.

AD DECISIONEM CLXXXVIII.

AD *num.* 6. Adde eundem Menoch. conſ. 150. num. 54. & conſ. 306. qui ſubdit ab iſta opinione non eſſe recedendum. & Cæph. conſil. 306. nume. 90. citat plures teſtantes de communi.

Ad num. 8. Adde, quòd opinionem iſtam ſecundam pro nepte veriorem, & magis communem dicit Gabriel. conſ. 88. nu. 9. lib. 2. qui limitat, niſi concurrant in contrarium volūtas teſtatoris, & ſtatutum loci. & de mat. totius deciſ. pleniſſimè tractat Peregin. de fideicomm. artic. 25. per totum, vbi hanc deciſ. noſtram allegat.

AD DECISIONEM CLXXXIX.

AD *num.* 1. *in fi.* Adde hic ſcripta per eundem Crau. conſ. 42. colum. 1. Gabr. conſ. 131. num. 14. lib. 2. Bec. conſ. 107. num. 19.

AD DECISIONEM CXCI.

HAnc deciſio. nouiſſimè comprobat Viu. deciſ. 379. in fi. lib. 2. Quid autem dicendum ſit in duobus fideiuſſoribus obligatis in ſolidum, an vno ſoluente competat aduerſus alium beneficium diuiſionis, nulla obtenta ceſſione, quæſtio eſt pulchra, quam latè examinat Guerard. conſil. 1. Et, ex traditis in iſta deciſio. videtur, quòd confideiuſſori competat actio, ſicuti competit correo, vt per text. in l. inter fideiuſſores. 52. in princip. ff. de fideiuſſ. vbi Bart. ſummat illum text. quòd inter fideiuſſores in ſolidum obligatos eſt locus epiſtol. D. Adri. & competit beneficium diuiſionis: imò ex ſola ſolutione, per quam alter liberatur competit negotiorum geſtorum actio, vt per glo. in l. creditorum, C. de duobus reis. Bart. in l. reos. in princip. in duobus reis. & pro hac parte facit illa generalis concluſio, quam ſequitur Viu. dicta deciſione 379. numero 1. quòd

ſemper

ſemper inter plures fideiuſſores competit beneficium diuiſionis, Auth. præſente. C. de fideiuſſ. Ronchegal. in l. 3. §. vbi duo. nu. 153. de duob. reis. quæ concluſio obtinet etiam inter fideiuſſores, qui ſe in ſolidum obligauerunt, vt per Do. meum, ſupra deciſ. 166. num. 3. ſed re propoſita corā Senatu fuit dictum, veriorē eſſe opinionem contrariā, quam ſequutus fuit Guer. in dicto cōſ. per tex. in l. vt fideiuſſores, ff. de fideiuſſo. & ſequitur Ronchegall. in d. l. reos, in prin. ſub num. 55. circa fin. & ita iudicatum, ſine ceſſione, nullā fideiuſſori, qui ſoluit, cōpetere actionem contra alterum fideiuſſorem 1595. 28. Iunij, referente D. Sandiliano. Non obſtant contraria; quia, pro reſponſione, animaduertendum eſt, quòd iure veteri creditor habebat electionem agendi contra quem vellet. l. in iure noſtro, C. de fideiuſſ. ſed ex Epiſtola D. Hadriani, datum eſt fideiuſſoribus diuiſionis beneficium, vt vnuſquiſque pro rata tantum conueniatur, d. l. inter fideiuſſores, & non rectè, in fi. C. de fideiuſſ. Quod quidem beneficium non competit, vt quidam falsò ſunt arbitrati, inter ipſos fideiuſſores; ideò leges ſtatuerunt eſſe neceſſariam ceſſionem, vt proportionabiliter vnus agere poſſit pro releuio contra confideiuſſorem, ad idq; poſſe creditorem ipſum compelli, iura ſtatuerunt, in l. ſicut eligendi, C. eo. tit. ſed competit, per modum exceptionis, & cuiuſdam ordinis, aduerſus ipſum creditorem; aduerſus quem, antequam alteruter ſoluat, poteſt excipere, virtute illius beneficij, q. agatur etiam contra alios, pro ſua cuiuſque portione; & hoc caſu militant iura, & generalis illa concluſio, quòd inter ipſos competit beneficium diuiſionis. Competit etiam fideiuſſoribus aduerſus creditorem aliud beneficium, quod excuſſionis dicitur, per Authent. præſente. quoniam non fuit per eos renunciatum; ideò ſi iſtis priuilegijs vellet vti fideiuſſor aduerſus confideiuſſores, non poſſet experiri ſine ceſſione, quia aliàs non eſſet actione vlla munitus; quando vero diuiſionis exceptionem vult opponere, tempus ſtatuitur ante condemnationem, & ſolutionem; aliàs poſtea fruſtra exciperet. l. cum alter. C. de fideiuſſ. §. ſi plures, Inſt. de fideiuſſor. d. l. vt fideiuſſor. ff. eod. Minus obſtat, quòd in hac deciſione dicitur de correo; quia, vt dicit D. meus hic, eſt differentia inter correos debēdi, & plures fideiuſſores: quod animaduertit gl. ſingulariter in d. l. vt fideiuſſor, & in d. §. ſi plures; & obligatio in ſolidum reſpicit ipſum creditorem, non autem alios fideiuſſores cum quibus nihil eſt actum.

AD DECISIONEM CXCII.

AD *num.* 11. *in fi.* Adde, quòd multas rationes contra Alciat. nouiſſimè adfert D. Menoch. de præſump. lib. 4. cap. 189. vbi latè tractat de materia Auth. res, quæ. Et an illa procedat in extraneo fideicommittente, & vltra deſcendentes, vide Franc. de Claper. in centur. cauſ. fiſcal. cau. 2. quæſtio. 4. & communis, & recepta opinio eſt illam Auth. nō procedere in extraneo: quam in cauſa Rubati, & Farinæ ampliabat Senatus, etiā quòd ex mente teſtatoris, qui fœminas, in defectum maſculorum, ad hæreditatem vocauerat, appareret dotem eſſe conſtituendā filiabus, cùm nulla ſupereſſent bona, quàm fideicommiſſo ſuppoſita, tempore dotium conſtituendarum; quia maſculus, per fideicommiſſum vocatus, impedit dotium conſtitutionem, in ſui præiudicium; & ita cenſuit, me referente 1601. 11. Ian. reparata ſentētia eiuſdem Senatus: per quam me reclamante fuerat iudicatum cōtrarium. Cæterùm ad materiam huius deciſ. circa taxam congruæ dotis, vide quæ nouiſſimè ſcribit Cæſar Barz. deciſ. Bonon. 127. & ſeq.

AD

AD DECISIONEM CXCV.

AD *num.7.in fi.* Cum iſta diſtinctione tranſiuit iterum Senatus in cauſa de Clauaſſio Ferrarij,& Mazati, me referente 1597. menſe Septembris; in qua fuit dictum,lucrum ſtatutatium non excedere dotem conſtitutã, & non comprehendere bona, quæ poſt illius conſtitutionem titulo hæreditario ad vxorem peruenerunt;confirmata priori ſententia Senatus, de cuius reuiſione tractabatur. In vxore autem, an ſtatutum, vel conſuetudo loquens de augmento habeat locum in iocalibus, cenſuit Senatus quòd non. 1601. 12. Nouembris. referente Dom.meo Senatore Crauetta: & fuit dictum ſolùm annulum ſponſalitium lucro cedere vxori; reprobata diſtinctione,quam poſt multos proponit Maſcard. de probat. concluſ.563.num.6.7.& 8.de qua re dicam latiùs in 2. par. & eſt in manuſcrip. deciſ.718.Et opinionem Domini mei hic comprobat Cauagnol.ad Decret. Montiſferra.Decreto.74.§.4.q.3.

AD DECISIONEM CXCVI.

AD *num.4. in fine*. Adde quòd dicit Dominus meus hic requiri legitimationem,ſaltem tempore natiuitatis,fretus illa opinione, quam ego veriſſimam arbitror; quòd ſufficiat tempore natiuitatis eſſe ſublatum impedimentum, per l.nuper.C.de natural.lib. gloſ.in cap.2.extra,qui fil.ſint leg. Hoſtien.Ioan.Andr.Butr.& Cardin.in cap. tanta, qui fil.ſint legit. Didac.de ſponſalib.2.par.cap.8.§.2.Peregrin.de fideicomm.art.24.num.50. Et deciſ.Domini mei amplia,vt procedat etiam quando teſtator dixiſſet, *Subſtituo filios legitimos, et naturales, et de legitimo matrimonio procreatos, et non aliter.* quia tunc ſoli legitimè nati ſuccedunt: ita,me referente, fuit reſolutum, in vna Eporedienſi de Scalijs. 1596. 20. Ianuarij. & ita in terminis iſtis per multas rationes, & authoritates concludit Peregri. in dicto art.24. nu.46. dicens ita etiam Patauij iudicatum, & allegat iſtam deciſionem.

AD DECISIONEM CXCVII.

AD *num.7. in fi.* Adde quòd cum iſta opinione, poſt Dominũ meum hic, nouiſſimè tranſit conſulendo Excellen. P.Morotius, conſi.97. num.10. dicens opinionem contra Caſtrenſem eſſe receptiſſimam.

AD DECISIONEM CXCVIII.

AD *num.4. in fi.* Pro hac ſecunda opinione addo Boer.deciſ.264. Aufrer. ad deciſ. Capell.Toloſan.quæſt.150. & illam communem dicit Boſſ.de bon.publicat.num.1.& hæc videtur eſſe originalis opinio. gloſ.in §.fin. Authent. vt nulli iud.

Ad num. 5. Adde quòd hanc diſtinctionem, quòd ſemper reſeruetur legitima filijs,& Auth.bona damnatorum, non impediat diſpoſitionem. l.cum ratio.tenuit Ioan.Fab. in d.Auth.num.7.verſi. & hoc caſu. Boſſ.in dicto nu.1. de bon. publ.& facit,quia Vlpianus in l.3. ff.ad leg.Iul.repet.dicit pœnam illius delicti eſſe confiſcationis bonorum, & tamen idem Vlpian.in l.cum ratio. reſeruat filijs legitimam.

Ad num.7.verſic.et in continuo dolore. Adde quod ad hunc exulis dolorem reſpexit Ouid. illis verſibus:

Neſcio qua natale ſolũ dulcedine captos,
Detinet, immemores nec ſinit eſſe ſui.

& alibi:

Parue, nec inuideo, ſine me liber ibis in vrbem,

Hei

Hei mihi quod domino, non licet ire tuo. Eamq; maximam pœnam duxit Imperator Theodoſius in vol. Cod. titu. de falſ. monet.

Ad finem, in verbo, ampliatur. Adde quòd hæc ampliatio, vltra quod ſuſtinetur ex iuribus, & authoritatibus ſupra traditis, quibus addo tex. in §. ſi verò, de pac. tenen. & ibi Bald. col. 4. quem malè intelligit Areti. in l. eius qui. ff. de teſtam. fundatur etiā ex pluribus. Primò, quia iura de confiſcatione loquētia, loquuntur generaliter, ſine diſtinctione. Secundò, quia fauor liberorum fuit cauſa illius deciſ. in l. cum ratio. quæ cauſa militat in vtroque caſu. Tertiò, legitima debetur iure naturæ ex præcepto coarctatiuo, non quòd, ſine teſtamento, bona non debeātur liberis omnia: ſed delictum non debet eundem effectū operari, quem operatur voluntas teſtatoris, cùm hæc pro lege habeatur, illud verò damnum tertio non afferat. Quartò, illa opinio Doctorum, quòd feudum publicetur ob crimen læſæ maieſtatis, limitatur communiter in caſu contumaciæ, vt per Roland. conſi. 15. num. 4. lib. 4. Quintò, decretum hoc eſt contra ius, in d. §. ſi verò, de pace tenen. vt dicit Iacob. de Beluiſ. in Auth. vt nulli iudic. in fi. ergo eſt ſtrictè interpretandum. Carpan. in conſtit. omnium, qui in contumaciam, num. 22. poſt Dec. conſ. 438. num. 2. Plot. conſ. 30. num. 13. Sextò, licet non corrigatur ius Auth. bona dam natorum, non tamen tollitur diſpoſitio l. cum ratio. & ſic fatuum eſt dicere, & diſtinguere, an veniat cōfiſcatio principaliter, an in conſequentiam, quo ad iſtud caput.

AD DECISIONEM CC.

IN *fine.* Totam iſtam deciſ. præſertim in hoc vltimo puncto nouiſſimè comprobat, & multis adductis confirmat Camill. Borell. Neapolit. conſ. 99.

AD DECISIONEM CCI.

AD *num. 5. in fine.* Hoc idem voluit Afflict. in allegata hic deciſ. 335. in fi. & cum hac deciſio. iterum in facti contingentia tranſiuit Senatus in cauſa Simeomi, & Vrſini, referente Domino Senatore Brocardo. 1601. 23. Auguſti.

AD DECISIONEM CCIV.

AD *num. 3.* Adde quòd ita fuiſſe iudicatum per Curiam teſtatur Rebuff. in tracta. de mater. poſſeſſor. tom. 3. attic. 2. gloſ. 3. num. 21. non obſtantibus litteris Regijs pro cautione obtentis.

AD DECISIONEM CCV.

AD huius deciſ. materiā, vide Hiero. Gabr. conſ. 4. nu. 1. lib. 1. Alb. cōſ. 11. num. 24. & quod hic dicitur, ſtante inæqualitate, præſumi etiā pro diuiſione, habet locum ſi aliqua alia, vel leuis coniectura, concurrat; præſertim ſi non tātum decem, ſed & triginta anni à die ſeparationis lapſi fuerint; ita fuit iudicatū in vna Aſtēſi de Cacheranis. 1594. ſexto Iulij. referente Do. meo Senatore Goueano. Neque obſtabat quod per Menoch. in contrarium dicebatur, hic duo ſpecialia concurrere, nempe præſumptionem diuiſionis, & etiam recompenſationis; quia reſpondebam, hæc duo ſpecialia oriri ex eodem ſubiecto, & non duas, ſed vnicam hic eſſe præſumptionem; nam ſicut præſumitur, per ſeparationem, facta diuiſio, ita præſumitur eodem tempore diuiſionem fuiſſe factam, ſeruatis ſeruandis, & vna ſola remanet præſumptio, iuſtæ ſcilicet diuiſionis.

AD DECISIONEM CCVI.

IN *fine*. Adde, quòd ratio huius opinionis eſt, quia tunc is, qui de titulo fidem facit, videtur in antiquiori poſſeſſione eſſe, & alterius poſſeſſio videtur clandeſtina, & vitioſa, cap. licet cauſam, vbi Felin. de probat. Bart. in l. ſi duo. nu. 4. & ibi Alex. ff. vti poſſid. Bald. in l. ordinarij, num. 10. verſi. ſed iuxta prædicta. C. de rei vend. Socin. in l. rem quæ nobis, num. 12. de acquir. poſſ. Papien. in forma libel. turba. poſſeſſ. in glo. hodie, & in gloſ. ad ceſſandum, nu. 5. Iaſ. conſil. 6. lib. 1. Roland. conſ. 9. lib. 3. Vide ad rem iſtam Virgin. de Bocat. in tract. de interdic. vti poſſid. num. 98. & ſeqq. cap. 2. Rota Bonon. deciſ. 73. & ſi vterque produceret titulum, pronunciandum eſſet in fauorem illius, qui antiquiorem titulum habet: vt poſt Bald. Soc. Iaſ. & alios, ſcribit Maſcar. de probat. concluſ. 1195. num. 54. & 55.

AD DECISIONEM CCVII.

AD *num*. 3. Animaduertendum eſt, ad tradita per Dominũ meum hic; quod illa procedunt in ſuo caſu, nempe quando mulier in odium creditoris exequẽtis vellet vti remedio l. vbi adhuc. Sed ſi excipiat de ſua hypotheca, & velit vti retentione, & habeat vlteriùs in inſtrumento ſuo clauſulã conſtituti, non eſt dubium, quòd poteſt ſe opponere; & tunc fit vera bonorũ æſtimatio, ſine vlla vtilitate decimę, vel alterius portionis; & dantur bona vxori ad ratam ſuæ dotis, augumenti, & boni ratis monetæ, & troſſelli; & ſuper reliquis proceditur ad exequutionẽ: & ita ſæpiùs iudicauit Senatus; & in ſpecie ita fuit pronunciatum in cauſa Valle, de Ciriaco. referente D. Cortina. 1591. 8. Octobr. & in iſtis terminis conſuluit Natta conſ. 300. & ita procedit illa practica, de qua teſtatur Maſuer. ad Papiẽ. in forma lib. quo vx. agit ad dot. §. vxor quondam. glo. fin. ſuper verbo, creditores agunt. & in iſtis terminis capienda ſunt ſcripta per Nouel. de do. priuil. 24. A quo etiam cauendum eſt, dum ibi, in fi. voluit mulierem poſtea hoc caſu retinere bona omnia iure pignoris, nec audiri creditorem, volentẽ vendi bona, & quod ſoluatur ſua dos cum reliquis acceſſorijs mulieri; quia hoc eſſet iniquum, ſi non permitteretur creditori, vt ſoluta dote, & augumento, ſuper reſiduo ad exequutionem procederet: Et quamuis aliàs data fuerit decima, pro larga æſtimatione, mulieri dotem repetenti; vt hoc in caſu teſtatur recolendæ memoriæ, & celebratæ famæ Do. Senator Sola in glo. ad Decre. noua. titu. 39. gloſ. 3. num. 58. in fine. Hodie tamen in concurſu creditorum, fuit reſolutum, non eſſe danda bona vxori, niſi ad iuſtam æſtimationem, vt dixi ſupra, & poſui latiùs ad deciſ. 158. Solet etiam Senatus admittere oppoſitionem mulieris, & illam manutenere in odium poſterioris creditoris, quãdo, vltra vergentiam viri ad inopiã, mulier probat maritum nulla alia bona habere, quàm illa ſuper quibus fit exequutio; tunc. n. ſtante hypotheca priori, ipſa eſt manutenenda, etiam non exiſtente clauſula conſtituti, iuxta notata per Bal. Nouel. de do. priuil. 6. pat. 8. limit. 13. & d. priuil. 24. & ſcripta per Natt. d. conſ. 300. & conſil. 327. & hanc communem eſſe DD. ſententiam dicit Hiero. Marilian. deciſ. 81. & ita fuit pronunciatũ in vna Cunienſi Corui, cõtra Riberiam. 1595. 17. Octobr. me referente. Licet ego dubitarem de iſta opinione, propter clarã doctrinam Bart. de qua per Do. meum hic. eſt enim magis cõmuni Doctorum calculo recepta ſententia, mulieri conſtante matrimonio non eſſe natã actionem de dote. Alex. conſ. 106. nu. 3. lib. 5. Sed replicabatur, quod licet nõ ſit nata

actio,

actio, datur tamen exceptio, per quam vti poteſt retentione. Cui replicationi dicebam, hoc poſſe procedere ſi mulier eſſet in poſſeſſione actuali, prout eſt ex clauſula conſtituti, ſed quando vir poſſidet, tunc aliud dicendum eſſe, quia non militat retentio. Ad euitandos tamen circuitus, tutior eſt Senatus ſententia; quia, nulla facta collocatione, poteſt creditor vel ſoluere dotem, vel tradere bona mulieri, pro rata ſuorum iurium, & reſiduum capere, ſiue viuat, ſiue mortuus ſit maritus.

AD DECISIONEM CCX.

Vide ad hanc materiam Dom. Menochium de arbitrarijs iudicum, caſu 228. nume. 21. & ibi nouiſſimas additiones.

AD DECISIONEM CCXI.

AD materiam huius Deciſionis, vide quæ nouiſſimè ſcripſit Surdus in ſuo amplo tractatu de alimentis, titu. 1. quæſt. 9. & 10. Gomez. Leon. in ſua informatio. centur. cap. 15. Garz. in tractatu de expenſ. & meliorat. capit. 4. num. 22. Rota Bonon. Beuintend. deciſ. 22. & quid dicendum in filio legitimo, Riminald. iun. conſ. 132. lib. 2. & 583. lib. 5.

AD DECISIONEM CCXIII.

AD *num. 4. verſicu. Aduocati patrimonialis.* Adde hunc morem, quòd ad deciſionem cauſarum, in quibus de intereſſe Principis tractatur, interueniant Præſes Cameræ, & Procurator patrimonij, ſeruari in Curia Neapolitana teſtatur Vincent. de Franc. deciſ. 117. ſub num. 2.

AD DECISIONEM CCXIIII.

AD *num. 3.* Cum iſta limitatione tranſiuit Senatus in vna Comitis Creſcentini, contra homines dicti loci. 1590. menſe Aprilis. Et iterùm in cauſa de Turretis, Comitatus Nitiæ 1593. 10. Septembris. referente Dom. meo Senatore Crauetta. Et vide ad mater. Brun. de aug. par. 7. & par. 18. limit. 3. num. 1. & limitatio. 4. & nos dicemus pleniùs ſuo loco.

AD DECISIONEM CCXV.

AD *num. 6. verſ. atque ita Senatus.* Super iſta deciſ. q̃ duret conſtituti actio contra tertiũ poſſeſſorem vſq; ad 30. annos, maxima orta eſt dubitatio, in cauſa nouiſſimè agitata coram Senatu: nam aliqui ex dominis dicebant per decennium expiraſſe, ſicut dicitur de hypothecaria, per gl. in l. cum notiſſimi. & dixi ſupra deciſ. 157. præſertim, quoniã creditor, cuius nomine debitor poſſidere conſtituit, non curauit per tantum tempus poſſeſſionẽ apprehendere; vt per Tiraq. de conſtit. limit. 21. nu. 9. quia illa actio, quæ oritur ex cõſtituto, eſt magis realis, quàm perſonalis, & in reali actione habet locum iſta præſcriptio, toto tit. C. de lon. temp. præſcr. quando enim contra tertiũ agitur, iſta actio eſt rei perſecutoria. Alij verò dicebant contrariũ cum Afflic. deciſ. 139. qui hunc articulum diſputans, dicit non præſcribere etiã tertium poſſeſſorem in hoc remedio, niſi poſt 30. annos, quia per alienationẽ dicitur interuerſa poſſeſſio; & ita dicit bis fuiſſe iudicatum. & eãdem opinionem tenuit Menoc. de recuper. poſſ. rem. 14. nu. 68. Cremen. ſing. 62. Hippol. ſingul. 158. & cũ hac ſententia Afflicti tranſiuit Senatus, iuxta votũ maioris partis dominorum. Et ita tenendo reſpondebatur ad

Digitized by Google

l. 1. & 2. C. ſi antiq. cred. & ad alia iura, & Doctores, qui in contrariũ allegabantur, quod loquuntur in hypothecaria, & ſecus eſſe in conſtituto: & ita eſſe tenent etiam Moderni addẽtes ad Afflic. in dicta deci. 139. & hoc non habet dubium; quoniam ille tertius habet titulum à debitore, qui poſſeſſionem interuertit.

***Ad num.* 4.** Cum iſta pariter deciſ. tranſiuit aliàs Senatus, in vna Taurinenſi, referente D. Brocardo. 3. Septemb. 1590.

AD DECISIONEM CCXVII.

IN *princ.* Cum iſtà opinione tranſit, latè cõſulendo pro ea, Gabriel. conſ. 172. num. 1. & 2. lib. 1.

Ad num.* 6. *verſic. Ducis Florentiæ. Adde, quòd exemplum etiam Regis Hiſpaniarum refert hac in re Clar. poſt Afflict. in §. raptus, q. pen. num. 7.

In fine deciſ. Traditis, & ſcriptis hic per nos, (quoniam tota noſtra fuit hæc deciſ. vt aliæ multæ in hoc lib.) Addo ſeptimum caſum; ſuper quo, me referente in quadam cauſa Planitiarum, magna oriebatur difficultas, quando quis propriam ſponſam, vi è domo patris, ipſa etiam recuſante, abducit, poſt facta inſtrumenta dotalia. Nam D. Aduocatus Fiſcalis defendebat, iſto caſu, pœna raptus dignum eſſe raptorẽ, & quatenus euitaret pœnam ordinariam mortis, ſaltem pœna deportationis, hoc eſt triremium eſſe plectendum delinquentem; & ſic eſſe confirmandam ſententiam ordinarij, qui raptorem ad inſeruiendum triremibus per ſex annos condemnauerat, per textum ſatis clarum in l. vni. §. 1. verſic. quibus connumeramus, C. de raptu virg. vbi inter raptores connumeratur, qui ſponſam ſuam vi abducit. Cuius legis diſpoſitio procedit etiam in non viripotente, prout erat in caſu de quo agebatur, vt probat tex. in l. raptores, C. de epiſco. & cleric. Peguera cap. 43. num. 12. & hanc opinionem tenuit vir doctiſſimus Anton. Gomez. in l. tauri. 80. num. 38. loquens in ſponſa de futuro; ſecùs, volens in rapiente ſponſam de præſente, nondum etiam carnaliter cognitam, per doctrinam Bal. in d. l. vnica. Et de iure ciuili hoc videtur expeditum, per verba d. l. vt dicit Papon. in ſuis Areſt. titu. de rapt. In contrarium, fauore inquiſiti, dicebatur, hanc rigoroſam legis ciuilis ſanctionem temperari à iure Canonico, in cap. pen. de rapt. vbi Pontifex negat in ſponſa poſſe fieri raptum, quando de matrimonio fuit tractatum; cui iuri in his quæ ad matrimonium ſpectant ſtandum eſt, vt noſtri tradunt in cap. 1. de noui oper. nunc. Verùm ad illum tex. reſpõdet Peguera c. 42. nu. 15. quòd diſpoſitio iuris canonici nõ excuſat raptorem à pœna raptus; quia non procedit ius canonicum in terris Imperij, vt tenet Caſtr. in d. l. raptores, nu. 5. Clar. in §. ſtuprum, verſ. ſed quæro, Salice. in l. eum qui duas, nu. 3. C. ad l. Iul. de adult. Gomez. in d. l. 80. nu. 7. Itẽ poteſt reſponderi, ꝙ procedit ille tex. quãdo mulier, ſeu ſponſa conſenſum præſtitit abductioni, prout ſonat litera, nõ, ſi nullo præcedente conſenſu rapiatur. Boſſ. in tit. de rapt. num. 7. Cepol. conſil. 57. Sed ſi ſtandum eſſet iuri Canonico, clarior eſt tex. pro hac re. in c. lex illa. 27. q. 2. & c. 3. 36. q. 1. & q. 2. c. ſi quis virginẽ; per quæ iura ita indiſtinctè tenet gl. in d. c. 3. Et ꝙ in hoc ſtare in pœnalib. debeamus potiùs iuri canonico, quàm iuri ciuili, tenet Abb. in d. c. pen. 2. not. loquens in ſponſa de futuro, & in terminis cõſuluit Corn. cõſ. 80. lib. 2. Decian. in tract. crim. lib. 8. c. 15. nu. 47. tom. 2. Eandem pariter opin. tenuit Afflic. in Cõſt. Regni, lib. 1. rubr. 19. nu. 13. in fi. & poſt eum Peguer. d. c. 42. num. 5. in fi. verſ. nec etiã obſtat. qui cum Abbate cenſent ſufficere, ꝙ præceſſerit tractatus matrimonij ad excuſandũ raptum; idemque vult procedere Io. de Anan. in d. c.

Digitized by Google

l.c.cum cauſa,nu.2. etiã ſponſa diſſentiente; In quo tamen puncto, re vera Doctores tenent magis cõmuniter contrarium,vt videre eſt apud Gabriel.con ſil.173. num.5. & ſeqq.lib.1. licet ipſe, in conſilio antecedenti, latiſſimè defendat raptorem ſponſæ, à pœna raptoris; cenſens eſſe potiùs puniendũ pęna exilij,vel pecuniaria;ſequitur Decia.conſi. 125.lib.3 Ego in hoc caſu,attẽta dubietate iuris, arbitrarer diſtinguendum,ꝙ aut præceſſit tractatus matrimonij; & nihil aliud inde fuit ſequutũ, tunc vel ſponſa conſentit abductioni, & non ſit punibilis,vel non conſentit,& tunc puniatur iuxta qualitatem perſonarũ,non pęna l.vnicæ,ſed alia mitiori; Aut verò vltra tractatum interuenerunt ſpõſalia per verba de præſenti,vel de futuro,veluti ſi ſequutũ fuit inſtrumentum ;vel promiſſio coram parocho, & teſtibus, tunc amplectenda erit Bal.diſtinctio,in d.l.vnica, in fi. cũ qua tranſeunt magis cõmuniter Doct. vt per Boſſ.ibi nu.17. Gomez.nu.39.in fi. in qua diſtinct. Bal. præſupponit etiam diſſenſum ſponſæ, dum quærit an diſſentiat cauſa monachatus,vel nõ. Cæterùm,licet tũc à pęna raptus excuſetur ſponſus, non tamẽ debebit ſine animaduerſione trãſire: Et propterea Senatus, in cauſa propoſita, quàuis liberauerit ſponſum, qui ſponſam ſuã inuitam è domo patris abduxerat,ſine armis, & nulla facta congregatione, à pęna triremium ;condemnauit tamen illum erga Fiſcum in libris 400. & banno à loco delicti per biennium, 5.Martij.1594. Vide Damouder.in practica crim.c.95. num.19. Marſil.in d.l. vnica, num.68. Carer. in pract.crimin. nu.26.verſ.hinc nacta occaſione.

Hinc ſuccedit alter caſus, quando inter duos amaſios præceſſit tractatus matrimonij cũ muliere, patriæ poteſtati non ſubpoſita,ſed in manu tutoris,vel curatoris conſtituta, quæ inde ſpontè cum amaſio receſſit,& inde copula eſt ſubſequuta, an iſte abducens puniatur pœna raptus. Et cùm iſte caſus fuiſſet,in quadã cauſa de Claraſco, à me propoſitus, ego dicebam hũc pęna raptus dignum, quia hæc eſt res mali exẽpli, & verba l. ſunt aperta, in d.l.vnica, & mites iudices, hac in re deſtruunt ſanctam legum diſpoſitionẽ; & hac aperta via,poſſunt facilè ſe virgines inhoneſtis famulorũ nuptijs accommodare,cũ magno familię ſuæ ſcandalo,& detrimento; Verùm placuit Senatui, attenta cõmuni Doct. ſententia,(quæ vult volentem abducentem mitius puniri) à rigoroſa l.diſpoſitione recedere ; &,ad extraordinariam pœnã deueniendo condemnauit raptorem in libris 200.erga Fiſcum; ex traditis per Ferret. conſ.65. Ad materiã nouiſſimè plures caſus congerit Menoch. in addit. ad lib.2.de arbitrar. caſu 291.

AD DECISIONEM CCXXI.

Vide ad hanc materiam, quæ ſcribit Guid. Pap. quæſt. 567. & ibi nouiſſimas additiones.

AD DECISIONEM CCXXII.

Ad num.2.verſ.Cæterum. Adde, quæ in hanc rem nouiſſimè ſcribit Cæſar Barz. deciſ. Bonon. 106.

AD DECISIONEM CCXXIII.

Ad nu.2.verſ. Amplia primo. Hoc idem tenuit Andr. Gaill. pract. obſer. lib.2. obſeruat. 89.

Ad num.7. Sequitur iſtam ampliationem Vinc. de Franc. deciſ. 237.nu.4.& quando decretum Iudicis interceſſit, res caret omni difficultate, quia illud ſupplet omnes defectus, & cauſa cognita cenſetur interpoſitum ; & pro re iudicata habetur. Vnde, in facti contingentia, inferebam, quòd teneret obligatio illius mulieris, quæ pro viro ſuo in carceribus

ceribus constituto ſe obligauerat, præſente Iudice, licet obligatio non eſſet iurata, præſertim cum non remaneret penitùs indotata; & ita cenſuit in cauſa quorundam Hebræorum. 1590. 13. Septembris. & in ſimili cauſa ita refert iudicatum per Senatum Mantuanum, Surd. deciſ. 86. qui conceſſit facultatem vxori alienandi partem fundi dotalis, pro marito è carceribus redimendo; præſuppoſito quòd marito egeno mulier tenetur alimenta præſtare. Bald. conſ. 478. lib. 5. Nat. conſ. 547. num. 19. Viu. deciſ. 133. Vincen. de Franch. d. deciſ. 237. Caſſan. in conſuetud. Burgund. rubr. 4. §. 1. num. 29.

Ad nu. 13. in fi. Pulchra orta fuit quæſtio, in contingentia facti; Si mulier habens in dotẽ 200. aureos, obligauerit ſe pro primo marito in aureos centũ, deinde fauore ſecundi mariti erga aliũ creditorem in alios centũ, an vtraq; obligatio deſtruatur. Et multa hinc inde in Senatu dicebantur, tandem placuit primam obligationem ſubſiſtere; quia mulier non niſi in dimidia dotiũ lædebatur; ſecundam verò annullandam, quia tempore illius remanebat indotata; & ita iudicatũ in cauſa Nicienſi Raibertę, & Ceuæ, 15. Iulij, 1591. referente Do. Crauetta. Item ſuper hac materia quæſitum fuit, an mulier, quæ mortuo marito ſe obligauit erga mercatorem merces ſoluere, ex ſimplici promiſſione teneretur; etiam poſito quòd merces in ſui vtilitatem eſſent verſæ. Et aliqui ex dominis dicebant mulierẽ teneri, duabus rationibus: primò, quia mercator mortuo marito non curauit, fretus illa promiſſione, perſequi ius ſuum, & hæres fuit effectus difficilis cõuentionis. Secundò, quia iſta promiſſio exonerat conſcientiam mariti; & eo caſu mulier, promittens in eam cauſam, tenetur; vt dicit Franch. in d. deciſ. 237. poſt Bal. & Barbat. Contrarium tamẽ fuit, frequentiori calculo, reſolutum; quia illa promiſſio eſt inefficax, & non obligat promittentem, vt per gloſ. in Auth. ſi qua mulier. & fuit dictum mulierem nõ teneri eo caſu, niſi in ſubſidium, facta excuſſione bonorum, & hæredis mariti. 1604. vltimo Aprilis. referente D. meo Senatore Guerillo.

AD DECISIONEM CCXXIIII.

NOta hic ꝙ ceſſantib. circumſtantijs, is qui baculo percuſſit non punitur, de iure, niſi pœna pecuniaria: & ideò text. in cap. 1. §. ſi quis aliquem, de pace tenen. dicit reum puniendum in libras decem erga percuſſum, & in 20. erga Fiſcum. Sed ſi malo animo, & pręmeditato, & cum circumſtantijs delictũ aggrauantibus, nempe ex qualitate loci, perſonæ, & ſimilibus, percuſſio ſequuta fuerit, vltra pœnam exilij, poſſet iudex etiam ad aliam corporalem, & exemplarem pęnam accedere; prout factum fuit hoc anno 1604. in quodam iuuene Aſtenſi; qui, cùm iam decem annis præteritis in publica platea illius Ciuitatis, quendam Ioan. Cauigiolam Notarium collegiatum illius Ciuitatis baculo percuſſiſſet, fuit reiecta gratia, quam præſentabat, non narratis circumſtantijs, condemnatus vltra temporale exilium, in duobus ictibus funis, non obſtante minori ætate illius rei, qui tempore delicti præſupponebatur ætatis annorum 19. & quòd, ob vindictam iniuriæ ſibi illatæ percuſſum, cauſa honoris illud commiſerat delictum. Aliquibus tamen ex dominis reclamantibus, & dicentibus, gratiam interinãdam. Quando autem is, qui percuſſus eſt baculo, poſt paucos dies moritur, an cenſeatur ex illa cauſa mortuus. Vide, quæ ſcribit Menoch. de arbitrar. caſu 275. Et ſi, tortus, in tortura ſuſtineat, ſe non animo occidendi percuſſiſſe, pœnæ extraordinarię locus erit, vt aliàs cenſuit Senatus in cauſa Scalengiarum. 1595. menſe Ianuarij.

AD

AD DECISIONEM CCXXV.

PRo pleniori intelligentia huius materiæ notandum, eſt aliud eſſe paciſci de hæreditate viuentis,cum tertio,illo inſcio, & ignorante cuius ſunt bona; aliud de futura ſucceſſione, cum eo de cuius hæreditate agitur; primum pactum improbatur, non ſolùm quia votum captandæ mortis inducit,ſed quia eſt directè contra bonos mores; Aliud verò non ſuſtinetur,quia tollit liberam teſtamenti factionem. Ideò primum pactum, quantumuis iuratum, non ſuſtinetur; etiam ſequuta promiſſione de proprio. Secundum verò,per iuramentum,& promiſſionem illam de proprio conualidatur: per ea, quæ ex illa clauſula,dicit Alc.in l. fin. ſuper verbo ſpes alienæ.in fin. C. de pac. Et ita expreſsè declarat Caſſan.conſ.63.nu. 35. & ſeq. Serafin. de priuil. iura. priu.50.num.7. Fulgoſ.conſ.73.num. 7. Et iſta conſideratione attenta, Senatus, in facti cõtingentia,me referente,cenſuit, non valere pactum iuratum inter fratres factũ de diuidenda matris viuentis hæreditate æqualiter, quatenus ad eos illa peruemiſſet, quacunque diſpoſitione contraria non obſtante, etiam ſtante promiſſione de proprio; & ita iudicatũ in cauſa Aſten.de Blanch.1597. 3. Decẽb. confirmata priori ſententia, de cuius reuiſione agebatur: In quam rem conferunt, quæ nouiſſimè ſcribit Cæſar Barz.deciſ.Bonon.14. Sed ſi pactũ fuiſſet factũ inter fratres ſuper modo ſuccedendi in agnatione, & inter illorum deſcendentes; quia illud magis quandã formam ſucceſſionis, & decus familiæ perpetuum reſpicit, quàm votum captandæ mortis, & bonos mores, arbitrarer poſſe ſuſtineri; iuxta ea quæ ſcribit in tali caſu conſultus Alben. conſil.457. lib.3.& Gozadin.conſil.87. Sic ut valeat etiam pactum de certa ſucceſſione factum. Bellon.conſil.60.nu. 1. & 2. Alba.conſ.461.nume.1.& octauo. lib.3.& 522.num.2.& dicitur hic nume.11.Quemadmodum etiam ſuſtinetur illud pactum inter duos factum;que, ſi hæreditas Titij vni obuenerit, alter ſoluat centum:tunc enim, veniente caſu, centum præſtabuntur; quia dantur de burſa propria, vt ſcribit Iacob. in d. l. fi. num. 42. Vide ad mat. Surd.conſil. 355. lib. 3. & Riminald. iun. conſil. 580. lib.5.

AD DECISIONEM CCXXIX.

AD *num.* 4. *verſi. manum eleuare.* Adde, quòd manus etiam eleuatio indicat mentem eleuantis, verbis non prolatis; cùm manu ſilentium in congregationibus indicitur; cuius rei meminit ſcriptor actuum Apoſtolorũ. cap.13.ibi. *Surgens Paulus, et manu ſilentium indicens ait, etc.* Et cùm de manu loquimur,illud mirabile notandum eſt, quòd non ſolùm manu verba, & mentem noſtram indicamus, ſed etiam manus ipſa totum hominis ſtatum, & vitam denotat, prout ex ipſis lineis, in manus palma exaratis,chiromantici diuinatores ſolent demonſtrare, & iocoſi moris eſt illarum mulierum, quæ intra Saracenos morantur, quæ ruſticos noſtros obdormiunt,& decipiunt, Bonã, (vt dici ſolet) venturam dantes.

Manuum etiam cancellatio eſt ſigna adorationis,vt fecit Iob, qui cãcellatis manibus Dominum adorauit; in cuius loci interpretatione decipitur Accur. qui in l.ſi quis, libertatem, ff. de hæred.& poſt eum Alberi.in rub.ff.de his,quæ in teſtam. delent. exiſtimarunt cancellare manus idem eſſe, quod manus in crucem ponere;nam illud cancellare eſt in modum cancellorum manus complicare; ex qua complicatione per digitos fiunt cancelli, cancelli autem ſunt crates illæ ferreæ, & etiam ligneæ, quæ

vulgò

vulgò ferratæ, vel geloſiæ dicuntur, vt in Calepino ſcribitur. & de iſtis cancellis. Sacra ſcriptura meminit lib. 4. Regum. cap. 1. ibi.

Ceciditque Ochozias per cancellos cænaculi ſui.

& in Prouerb. cap. 7.

De feneſtra domus meæ per cancellos proſpexi iuuenem.

& in cantic. cap. 2. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.* & per Calepinum multi latini authores referuntur: & in Theſauro linguæ latinæ, ſuper verbo, Cancelli. Huc confert, ad digitorũ complicationem, quod Eraſm. in Apophtegm. ſuis ſcribit, manum non eſſe porrigendam amicis complicatis digitis, quaſi extenſam liberalitate manum, nõ auaritia compreſſam porrigere debeamus: quam ſententiam pulchrè explicat P. Nanius., lib. 8. Miſcell. & Laertius dicebat multos inſanire præter digitum.

Ad num. 5. Adde, quòd hinc exijt apud Neapolitanos in prouerbium *far le fiche ſotto lo mantiello*, quando nolunt contumeliam, & conuicium verbis dicere, ſed occultò denotare. Sic etiam duorum digitorum eleuatio cornutum deſignat; quod faciens puniretur; quia cornutum aliquem dicere contumelia eſt, vt inquit Didac. Var. reſolut. cap. 11. num. 2. lib. 1.

AD DECISIONEM CCXXXI.

AD *num.* 2. *in fi.* Adde, quòd idem tenuit. Ludou. deciſ. Peruſ. 51.

AD DECISIONEM CCXXXII.

AD *num.* 1. Adde pro hac prima opinione, quòd eſt pulcher text. in l. 1. in fin. ff. de quæſtionibus. Gomez. Leou. in ſua informat. centur. cap. 48.

Ad num. 3. Adde pro hac ſecunda opin. tex. in l. eos. C. de modo mulctar. in fi. & eam tenendo, non obſtat tex. in l. 1. §. fin. quia ibi loquitur de reuocatione ſententiæ ſine iuſta cauſa: ſecùs autem eſſet ſi cum cauſa, vt hic, ne ſententia reddatur illuſoria; & ibi datur hæc facultas Principi, qua etiam Senatus, tanquam Principis pars vti poteſt.

AD DECISIONEM CCXXXIII.

AN ex promiſſione quis cogatur obſeruare, quod promittit, vide Afflict. dec. 120. & 123. & quãdo promittens vendere ad rei traditionem præciſè teneatur, vide quæ noniſſimè ſcribit Cæſar Batz. deciſ. Bonon. 111.

AD DECISIONEM CCXXXIV.

AD *num.* 2. Pro prima opin. adde Rimin. iun. conſil. 25. num. 13. lib. 1. Florian. conſil. 12.

Ad num. 3. Iſtam opinionem tenuit Bal. in Auth. ſed & periculum, C. ſine cenſu. vel reliq. Caſtr. in l. 2. eod. tit. Bar. in l. incola num. 2. ff. ad municip. Iaſ. in l. placet. in fin. C. de ſacroſ. Eccleſ. Brun. conſ. 94. num. 2. idem Natt conſil. 280. lib. 2. Et illa fortè procedere poſſet in tributo, de quo loquitur tex. in d. Auth. non in alijs oneribus; tributum enim eſt magis priuilegiatum; quia pro tributo bona ſunt tacitè fiſco hypothecata; ideò tranſeunt cum ſua cauſa, pro collecta non item. l. cum poſſeſſor. §. fi. ff. de cenſib. l. prima & toto tit. C. de annon. & tribu. lib. 10. Angel. in l. omnes, C. de ſine cenſu, vel reliq.

Ad num. 5. Eandem opinionem Bar. ante illum tenuit Specul. in titu. de cler. coniug. num. 11. Innoc. in c. poſtulaſti. de for. compet. Bal. in l. vlt. num. 6. C. ſine cenſu, vel reliq. Abb. in c. fin. nu. 12. de vita, & honeſt. cleric. Brun. conſ. 94. num. 2.

num. 2. Burſa.conſ.42.num.6. & in terminis tributi loquitur glo. in d. cap. ñ de immun. Eccleſ. Et in Taxu D. Sola in tit.de iur.emphit. 2.glo.3.par.nu.21. car.mihi. 44. & in taxu id videtur clarum;quia, licet ad tempus poſitum, eſt tamen munus ordinarium, cum perueniat à Principis conſtitutione, ex qua ordinarij muneris nomen deriuatur. l. 1. C. de vacat.publ.mun.l.omnes,C. de anno. lib. 10. illud enim pro militia ſuſtinenda ſoluitur, ex qua pax in ſtatu conſeruatur nã, vt inquit Tacit.lib.20. Annal. *Neque quies gentium, ſine armis, neque arma ſine ſtipendijs, neque ſtipendia, ſine tributis haberi queunt.* tex. in c. tributum 23.quæſt.8. & cum iſta ſentẽtia, cum deciſ. D. mei hic, tranſiuit iterum Senat. in cauſa Monialiũ de Azelio, quæ acceperant quædam bona in ſolutum à D. Petro Florano Eporedienſi, quæ erant deſcripta in cataſtro Communitatis; & in ea cauſa cenſuit, pro taxu, tanquam onere cẽrto, & inuariabili teneri Eccleſiam, & perſonas eccleſiaſticas, iux. opin. Bart. de qua hic. & latè Alba conſ.8.num.14.& ſeq.

Ad num.7.in fi. Ad hoc faciunt ſcripta per eundem Gu. pp. quæſt. 784. Rim. iun. conſ. 25. num.13.& 14.& nu.18.& 19. vbi videtur ſe reſtringere ad hanc limitationem, in collectis incertis, & tenet latè Borell. conſil. 74. nume. 40.& ſeqq.

Ad num. 9. Adde, quòd Natta hic dicit ſpectare onus ad alienantem non ad Eccleſiam, ita in oneribus tantum certis, & non variabilibus, intelligit procedere contrariam opinionem Borrell. conſ.74.num.50. Et quòd ſtatutum generaliter loquens, quòd nullus poſſit alienare bona in exemptum, non compræhendat eccleſiam. Bal.conſ.132.Caſus quidam, vbi conſuluit in cauſa Pontis Sturiæ.lib.3.

Ad num.10.ibi per totum. Adde, quòd dicitur infra deciſ.267.num. 15. Purpur. conſil.485.per totum. vbi ita conſuluit pro Communitate Cunei. idem Purp. conſ.391.num. 5. Collegium Taurinẽſe.inter conſ.feud. conſ. 3. pro Ciuitate Taurini contra Clerum.Iacobin.in tracta.de homag.Egid.de Thomat.in tracta. de collect. in titu. de Eccleſiaſticis. Brun.conſ.117.num. 25. & ſeq. vbi inquit, quòd tempore belli poteſt Princeps ex neceſſitate accipere cruces, calices, & alia ſacra. Ozaſc.conſ.3.in fi. & ibi D. Præſes Balbus, in conſilio poſito poſt d. deciſ. D. Ozaſ. 68. D. Præſes a Ponte, in tract.de laudem.quæſt. 45. in fi. Crau.conſ.392.num.3. D.Sola in cõmen.ad decre. antiq. in tit. de iur. emphit. in fi. ex quibus conſtat communẽ opin. Doctorum iſtius patriæ, ita eſſe, & ita obſeruatum ab anno 1536. quo cœpta ſunt bella inter Franc. Regem Gallorum, & Carolum V. vſque ad annum 1569. quo fuit facta pax inter Reges Philippum, & Henricum, & præſertim in ea parte Galliæ Ciſalpinæ, quæ à Gallis occupabatur. Contrarium tenuit Borrell. conſil.74.numero 32.& ſeqq.

Vide ad materiam huius deciſ. Annæum Rober.lib.2.rer.iudicat.cap.2. Nigr. in rep. c. vn. de vi.& honeſt.cleric.tom.6. rep. canon, Camill.Borrell.conſ.74.per totum. Riminal.iun.conſ.2.lib.1.

Sed dubitari poteſt, quomodo erit Eccleſiaſticus compellendus ad ſolutionem tributi, & collectarum, in caſibus quibus eum teneri ſupra dictum eſt pro oneribus certis, & pro quibus quis ſubmiſit bona cataſtrando, cùm perſonæ à laicorum iuriſdictione ſint exemptæ, ita vt neque laici præcipere, neque eccleſiaſtici parere teneantur. ca. Eccleſia ſanctæ Mariæ. de conſtitut. c. decernimus. de iudic.cum ſimill. Et Calder.in conſi.2. de cenſibus videtur velle, quòd compellantur per Eccleſiaſticum, per c.ſi.diligenti.de for. compet. idemque voluit Egid. Bellam. conſ.45.in fi.& conſ.46. in princip.per c.non minus. de immun. Eccleſ. quem vide, & conſ. ſeq. ad mat. deciſ.

deciſ. Sed aliqui dant cautelam, quòd compellantur per occupationem ipſarum poſſeſſionem; quia ipſa prædia, occaſione tributi, obligata cenſentur quibus onus imponitur Bar. in l. reſcripto. §. fi. num. 1. & duob. ſeqq. de mun. & honor. Caſtr. in l. 2. num. 4. C. ſine cen. vel reliq. glo. in l. munerum, §. patrimoniorum. in verſ. pontifex. de mun. & honoribus. Iſta cautela deſumitur ex doctrina Innocen. in c. poſtulaſti. de for. competen. quam ſequitur, & comprobat Caſtr. in d. l. 2. C. ſine cenſu, vel reliq. num. 3. qui dicit hoc notandum perpetuò. Bal. & Salicer. in Auth. ſed, & periculum, C. eod. titu. vbi allegat verba Innocent. & latiùs, ac meliùs, in l. de his, C. de epiſc. & cler. vbi Bald. tractat iſtam quæſtionem, & tenet, ex profeſſo, cauſam iſtam ſpectare ad Iudicem ſecularem, qui mittet ad rem ipſam, pro tributo; ſed non contra perſonam clerici. Vnde Caſtr. in d. l. 2. infert ex iſta cautela dari caſum, quòd poſſit agi hypothecaria, ſine perſonali obligatione: & ſic, omiſſa perſonali actione, poſſe via exequutiua procedi contra rem ipſam; & Bald. vult etiam compelli per perſonam colonorum. Verùm iſta cautela eſt multum periculoſa; quia priuilegium Eccleſiæ competens, nō ſolùm reſpicit perſonas eccleſiaſticas, ſed etiā bona. Ideò per indirectum non poſſent Eccleſiaſtici moleſtari pro ſolutione onerum; præſertim quando bona ſunt incorporata beneficio eccleſiaſtico: Et Innoc. à quo deſumitur illa cautela, loquitur in caſu ſingulari, ſi Iudex eccleſiaſticus requiſitus negat facere iuſtitiam; quia tunc omni meliori modo, & via poſſunt compelli; prout optimè in materia concludit D. Ozaſc. deciſ. 68. num. 22. & ſeq. Balb. poſt dictam deciſ. in ſuo conſil. in 7. & vlt. articulo. Quocirca ego, in facti contingentia, dicebā non eſſe admittendam querelam, quæ de eccleſiaſtico Iudice in Senatu facta fuerat, qui inhibuerat per apprahenſionem bonorum eccleſiaſticos moleſtari; niſi appareret ipſum requiſitum recuſaſſe iuſtitiam facere. Cautela item Bal. quòd in perſonam colonorum cōpellantur, eſt iniqua, & in fraudem libertatis eccleſiaſticæ; & non recipienda; quia coloni non tenentur pro dominis ſoluere. Et propterea tenuerunt Doctores, quòd in caſibus in quib. Eccleſiaſtici tenentur ad onera, non obſtante immunitate eccleſiaſtica, non poſſint compelli ad contributionem, & ſolutionem; niſi per eccleſiaſticos Iudices. ita Anchar. Salic. Alb. Didac. & alij, quos nouiſſimè refert D. Præſes Menoc. conſ. 800. num. 17. & 19. & latiùs in fi. conſilij num. 50. & 51. Imò, etiam Eccleſiaſtico condemnato per Iudicē ſecularem non exequeretur ſententia cōtra eum ſuper bonis eccleſiaſticis: nec contra perſonam poteſt procedi, niſi miniſterio Iudicis eccleſiaſtici; etiamſi laicus in illa cauſa fuiſſet competens. Decian. in tract. ſuo crimin. lib. 4. c. 11. num. 3. ſicuti, vice verſa, nec laici condemnati poſſent compelli per Iudicem eccleſiaſticum, niſi brachio ſeculari inuocato. Et ita re propoſita fuit ſæpius reſolutū in Senatu; quicquid latè ſcripſerit Aegid. de Tomat. in contrarium in ſuo tract. de collect. qui hac in re cōtra eccleſiaſticam libertatem ſatis audacter fuit loquutus.

AD DECISIONEM CCXXXVII.

AD *num. 10. verſi. quid autem ſi ſtipulatus*. Aduerte, quòd cum ex conſuetudine Martini dos reuertatur ad liberos, non ad patrem ſuperſtitem, defuncta matre; quæ conſuetudo pro iure communi habetur, cùm ſit iuris interpretatiua, vt aliàs dicitur, deciſ. 138. & 190. num. 5. & per conſequēs filij habeant tanquam hæredes matris, per illa verba ſtipulationis à patre factæ pro filia, vel ea defuncta, pro illis quibus

quibus dabit, vel quibus de iure; non imputabunt nepotes dotem in legitima, ex magis communi ſententia: ſuper qua, in terminis iſtis, latè conſuluerunt nouiſſimè Maluaſ. conſil. 114. & Surd. conſil. 106. & ideò hoc loco, ſuper verſ. *quod imputent*, eſt addenda negatiua, non; Et quia quamuis mihi ſemper viſa fuerit opinio Pariſienſis, in puncto iuris, verior, prout etiam viſum fuit D. meo hic, num. 12. quòd ſcilicet circumſcriptis omnibus ſtipulationibus, & illis non obſtantibus, nepotes ſemper teneantur imputare dotem matris datam, tanquã prouenientem ex aui ſubſtantia; tamen non erit recedendum in iudicando à deciſſ. Senatus, de quibus hic. Et, in ſpetie propoſita in cauſa Carignani nobis compromiſſa de iure tantum, iudicauimus, quatuor arbitri electi, ſuperioribus diebus; Et ita intelligit conſuetudinem Regni, per quã filij matri ſuccedunt in dote Minado. in conſtitut. in aliquibus, §. quarto noto. num. 6. dicens ita iudicatum in ſacro Concilio; vbi latè tractat articulum ſuper mat. illius conſuetudinis. Vide Petr. de fideicommiſſ. q. 15. num. 109.

AD DECISIONEM CCXXXVIII.

CVm fuiſſet iterum propoſita cauſa, de qua in præſenti deciſ. ſuper iſto ſtatuto Eporediæ, Senatus tandem iudicauit contra Rubeum, ad 1587. 25. Ian. in cauſa Quaglioti, & Saluagij; prout adnotauit D. pater meus, ad illud conſ. Rubei. 145.

AD DECISIONEM CCXXXIX.

AD *num.* 10. *in fi.* Adde; quòd in terminis onerum dicit eſſe reductionem faciendam ad æquitatem, quando rerum ſtatus mutatur Albenſ. conſ. 34. in fi.

AD DECISIONEM CCXLI.

AD *num. 7. verſic. alij putabant.* Hanc ſecundam opinionem ſeruari in Sabaudia teſtatur Gu. pp. deciſ. 63. num. 2. Sed mihi videtur ſatis modeſta, & tuta illa opinio in hac materia, quòd eccleſiaſticus Iudex requirat laicum Iudicem, vt procedat contra hebræum blaſphemantem. ex c. ita quorundam. & ca. poſtulaſti de Iudæ. & ex traditis per Felin. in c. irrefragabili. §. cæterùm. col. 1. de officio ordin.

AD DECISIONEM CCXLII.

VIde ad mat. Ozaſ. deciſ. 150. Rimin. iun. conſ. 711. lib. 6. Gomez. Leon. in ſua infor. centur. cap. 5. nu. 9. 11. & 12.

AD DECISIONEM CCXLIII.

ILlam opinionem de qua hic, num. 2. & 3. fundatam ſuper generali conſuetudine totius Italiæ, quòd non ſequuto effectu non puniatur affectus, ſequutus eſt Senatus in caſu fortiori, etiam quòd quis veniſſet ad actum proximũ; puta lethaliter vulnerando; & quando non ſtetiſſet per eum, qui vulnerauit, vel tentauit delictum, quin quo ad eum delictum ipſum eſſet conſummatum; Ita dicebatur in caſu cuiuſdam, qui vulnerauerat lethaliter vxorem, & aliam deſponſauerat, credens, quòd ex vulneribus illatis, mortua eſſet vxor, cenſuit enim, ex eo, quòd mortua non eſſet mulier ex illis vulneribus, iſtum propter illam generalem regulam, eſſe à morte naturali, & pœna ordinaria liberandum; & illum condemnauit ad inſeruiendum triremibus, vita ſua naturali durante, Referente D. Senatore Guidero, 1494. 30. Aprilis: ex

P quo

quo ſequitur regulam, ſiue generalem conſuetudinem, procedere etiam in atrociſſimis, vt in aſſaſſinio, & graſſatione. quamuis Clar. in §. fin. q. 92. dubitet, in atrociſſimis, & dicat Senatum Mediolani diuerſimodè iudicaſſe, modò pro pœna ordinaria, modò pro extraordinaria. Sed cùm Clarus remittat Iudicis arbitrio, non malè iudicium facit, qui mitiorem pœnam, etiam in atrocioribus, ſequitur; excepto tamen crimine læſæ Maieſtatis, & ita iterum cenſuit Senatus, in quodam de Monte Regali, qui ſuſceperat mandatum, præuia pecunia, de occidendo, & cum ſocijs aſtitit, quorum vnus exploſit ſclopum, contra eum qui debebat ex ſuſcepto mandato occidi: ſed ille non erat mortuus, & fuit inquiſitus condemnatus ad triremes perpetuos, referente D. Senat. Balbo 1598. 30. Septembris. Quod tamen non haberet locum, quando in tali aſſaſſinio appareret de mala voluntate occidere volentis, vt erat in caſu relato per D. Senator. Gaſſantum, in quo, ſuper finibus Vercellarum, fuit lethaliter vulnerata à duobus militibus quædam mulier, de mandato ſui viri, parte pecuniæ accepta, & cum 30. vulneribus; pro mortua relicta, & cùm dubitarent illi an eſſet mortua, redijt vnus de mandato alterius, & iterum vulnerauit, & cùm vidiſſet, quòd non ſe mouebat, & mortuam crederet, receſſit; hoc enim caſu tàm atroci, licet viua poſtea eſſet mulier, diuina magis gratia, quàm peritorum cura, Senatus receſſit ab illa generali conſuetudine, & cenſuit iſtos ambos furca ſuſpendendos, non habita ratione ætatis vnius illorum, qui erat annorum 18. 1598. 27. Octobris. Item non haberet locum iſta conſuetudo in crimine læſæ Maieſtatis, quando præceſſit tractatus, licet non fuiſſet effectus ſequutus; vt ſcripſi latè in 2. part. deciſ. .... incip. Cogitationis pœnam. cui crimini comparabat Senatus immane crimen, quòd tentant illi, qui volunt, materia præparata, peſtem introducere in aliqua Ciuitate; quo in caſu cenſuit laqueo ſuſpendendũ quendam Marchettum, qui cogitauerat morbum vnguento (licet inefficaci) præparato, immittere in hac Ciuitate, communicata cogitatione ſocio, cum ex reſponſionibus conſtaret de perſeuerantia ſuæ cogitationis, licet non veniſſet ad vllum actum proximum; motus præſertim ex qualitate hominis, prout in arbitrio conſiderat Clar. 1602. 9. Febr. multis tamen mecum diſſentientibus.

Diſpoſitionem autem Decreti confirmat per multa D. Senator Sola. in gloſ. ad dictum Decreti, qui tamen limitat, quando animus quidem fuiſſet occidẽdi veneno, vel gladio, ſed non fuiſſet ſequutum vulnus, vel non data propinatio, licet præparata: qua in re videndus Farin. in tracta. crimin. quæſt. 17. numero 28. qui omnes allegat de hac materia tractantes, & inclinat in mitiorem partem; & vide Canter. inter quæſtio. crimin. capit. 6. numero 25. & omnes ferè Doctores dant exemplum in eo, qui propinauit venenum; quo in articulo ſciendum eſt, quòd omnes Hiſpani in eo, qui delictum conſumauit per propinationem, licet mors ſequuta non fuerit, tenent poſt Bald. & Bart. tàm de iure communi, quàm de iure illius Regni, quòd ſit reus dignus morte; non obſtante conſuetudine Italiæ; & ita tenet Ganter. poſt Didac. & nouiſſ. Decian. in tractat. crimin. lib. 9. capit. 23. numero 3. circa finem. Verùm Doctores Itali, mitiùs procedentes tenent etiam hoc caſu mitiorem partem, & communem hanc refert Bonacoſſ. in communes opinio. titu. de maleſ. in verbo venenum, & in hanc videtur inclinare Men. caſu 360. & Bertachin. dicit iudicaſſe Romæ, dum eſſet Iudex Capitolij, pro illa gegenerali conſuetudine; in ſuo repertorio

torio

Digitized by Google

torio in verbo Veneuatio. Et certè in caſu iſto, etiam quòd ſit deuentum ad actum proximum, in quo quis fecit, quòd potuit, propinando venenum, ex quo tamen Medicorum cura poſtea ſit liberatus; magis communis eſt opinio, vt extra mortem reus puniatur, prout vidi ex Doctoribus allegatis per Didac. in clemen. ſi furioſus, §. finali numero 11. & Placam in Epitome delictor. capit. 20. numero 2. & in indiuiduo tenent. Pariſ. Bonifac. Gæpol. Auguſtin. Afflict. Grammat. Carer. Foler. Angel. Felin. Bonacoſſ. & Ficard. inter commun. opin. Bertachin. Tiraquell. allegati à ſupraſcriptis, ac Menochio. & qui ſuis locis videri poſſunt; illorum multi, vt Flor. qui ſimpliciter refert verba Bald. conſil. 443. lib. 3. & Cremenſ. ſing. 49. loquantur in eo, qui præparauit venenum, non in eo, qui propinauit, &, quo ad ſe, actum conſumauit, quia ille proceſſit vlteriùs; & malum animum ſuum in delicto perpetrando demonſtrauit; & ab iſta communi opinione fortè non eſſet tutum recedere, quamuis iudici detur in hoc caſu proditorio, & atroci amplium arbitrium; quia vt dicit Bald. in dicto conſilio. 443. in diuerſitate opinionum, tutior eſt mitior opinio, & ego ab illa non recederem, niſi ex circumſtantijs tale factum grauaretur; vt ſi ſeruus domino venenum propinaſſet, vel non de vnius, ſed de multorum facto tractaretur; vt ſi quis totam familiam venenaſſet animo ſuccedendi; vt erat in caſu agitato coram Senatu, in quo per quendam fuerunt venenati quatuor vnius familiæ; & ego votabam, cum alijs dominis, iſtum eſſe dignum morte, propter atrocitatem delicti, & fuit ſententia exequuta. 1603. menſ. Febr. in Sancto Marzano, attenta qualitate illius inquiſiti, & alijs circumſtantijs delictum aggrauantibus, quamuis multi ex Dominis, etiam hoc caſu, tenerent mitiorem partem; propter auctoritatem Curiarum, quæ ita in facto iudicauerant, vt per Gram. & Viu. in locis infra citatis. Et in hoc caſu locum eſſe opinioni Didaci, & aliorum Hiſpanorum, quam in caſu atroci, probat Cic. in orat. pro Millone: cuius verba optimè declarat Alexand. ab Alexand. gen. dier. lib. 2. cap. 10. quamuis etiam hoc caſu, quando per vnum plures fuerunt venenati, dicat Grammat. in deciſ. 2. Sacrum Concilium pro mitiori iudicaſſe; prout etiam, in ſeruo dominis ſuis venenum propinante, dicit iudicatum pro pœna extraordinaria Viu. deciſ. 487. lib. 3. licet ipſe, videatur eſſe pro altera ſententia, contra Grammat. Rot. Auen. deciſ. 92. quæ non facit ad rem noſtram. & Menoch. in mat. d. caſu. 360. licet ſit pro morte. nume. 47. tamen mediam viam amplectitur, poſt Petrum de Soncino, cuius tamen conſilium non reperiinter conſilia diuerſorum criminalia. Et non erit mirum ſi hoc in crimine recedatur ab illa generali conſuetudine; quia plus eſt occidere veneno, quàm gladio, & in eo ſeueriores debent eſſe Iudices, quàm in alijs homicidijs puniendis. Habetque, vt dixi, in hoc crimine puniendo, Iudex latas habenas, nec tenetur ſequi mitiorem partem, ſi nolit, vt poſt Salycet. & alios tradit Tiraquell. de pęnis. cauſa 40. numero 2. Ideò poteſt, ex circumſtantijs, arbitrium ſuum regulare, vſque ad mortis pœnam incluſiuè; præſertim in patria noſtra, attento decreto, de quo in præſenti deciſio. Et aduertas, quòd etiam magis communiter eſt recepta à Doctoribus in materia conatus, ac in atrocioribus illa diſtinctio; quòd, aut quis attentauit tantùm, & non fecit, quòd in ſe erat, & tunc habeat locum conſuetudo; aut venit ad actum proximum, & fecit quod in ſe erat, & mors ſequuta non fuit, tunc ſit locus pœnæ ordinariæ; vt teſtantur Clar. Plac. &

P 2 Boer.

Boer. & in hac diſtinctione benè perſiſtit Cantera; &, emendata ſua contraria opinione, ſic concludit Marſil. in l. is qui cum telo. numero 82. Cod. ad l. Cornel. de ſicar. Et ad iſtam diſtinctionem referri poſſunt illa exempla, quæ referuntur à Popinio libro 23. titul. 10. Areſtor. & in ſeruo Boſſ. in praxi. titul. de homicid. numero 13. dicit morte mulctatam ſeruam, quæ venenum propinauerat domino; licet Viu. in illo ſclauo, dicat pro mitiori iudicatum, & Senatus, in loco Cherij, condemnauit ad mortem quendam ſeruum, qui manum tenuerat, vt Dominus à quibuſdam ſuis inimicis occideretur, & contra quem cœnantem ſclopus fuit exploſus, licet non eſſet ſequutus effectus. 1599. menſ. Februarij. me referente, & ratio, quam ponit Boſſ. per quam motus fuit Senatus Mediolani, licet ſit fundata ſuper Decreto noſtro ſimili, tamen fundamentum aliud eſt verum, per quod pariter motus fuit Senatus, ad condemnandam ad mortem illam cōcubinam, vt domini redderentur ſecuri à ſeruis ſuis, iuxta l. 1. ad Sen. conſ. Silla. qua ratione motus fuit etiam Senatus noſter in prædicta cauſa de Cherio.

Ad nume. 4. Adde Tiraquell. de pęnis temper. cau. 14. numero 4. Rip. in l. finali. numero ſeptimo, C. de reuoca. donat. & hæc opinio, ex hebraica doctrina comprobatur: Sanedrin. diſtinctio nona, vbi, ſi quis vnum occidere vellet, & alium percuſſerit abſolui debet.

AD DECISIONEM CCXLV.

AD *num.* 2. Adde Crane. conſ. 676. lib. 4. Surd. conſil. 41. numero ſecundo. libro primo. limitando tamē iſtam ampliationem, niſi illa aqua, quæ tranſit in fundo meo, ſeruiret vſui publico; nam tunc non poſſem illam diuertere. l. prima. ff. de flumin. Et ita in ſpecie conſuluit Riminal. ſent. conſil. 624. num. 5. & ſeqq. lib. 4. & vide eundem conſil. 623. Et ad materiam conceſſionis aquarum, vide quæ ſcribit Menoch. de arbitr. caſu 462. nume. 11. centur. 5. lib. 2.

AD DECISIONEM CCXLVI.

IN *fine.* Ex traditis hic per Guid. pap. quæſt. 365. reſponderi poteſt ad text. qui pro prima opinione ſatis vrgere videbatur, in l. ſi quis aduerſus, C. de precibus Imper. offer.

AD DECISIONEM CCXLVIII.

AD *num.* 16. Adde quæ ſcribit Viu. deciſio. 393. numero primo. vbi allegat iſtam Deciſ.

AD DECISIONEM CCL.

DE pęna temerè appellantis; & ad intelligētiam Decreti noſtri, vide quæ ſcribit Menoch. de arbitrar. iudic. lib. 2. centur. 5. caſu. 445.

AD DECISIONEM CCLI.

EGo in hac quæſtione, & controuerſia diſtinguerem inter expenſas voluptuarias, & neceſſarias, vt primo caſu procedat prima opinio, in ſecundo verò ſecunda opinio, & hac diſtinctione conciliari poſſunt opiniones contrariæ, quia neceſſariæ, etiam hodie eſſent faciendæ, & tanti æſtimarentur, ac ſolueren-

uerentur; Et cum hac diſtinctione nouiſſimè tranſibat Senatus in cauſa Illuſtr. D. Senatoris Brocardi, & Belloni. 1604. menſe Martij. pro qua vide quæ latè ſcribit Cæſar Barz. in deciſ. Bononien. 23. num. 16. vbi diſtinguit tres caſus; & num. 14. in fi. allegat iſtam deciſionem, & tranſit cum illa, adiunctis multis authoritatibus, quæ ibi videri poterunt. & communem dicit Ludou. deciſio. Peruſ. 24. num. 25. Et ad melioramentorum æſtimationem, vide quæ doctè, more ſuo, ſcribit Monoch. in addit. de arbitrar. caſu 258. & ibi quis ſoluere teneatur.

AD DECISIONEM CCLII.

IN *fine*. Eandem ſententiam ſequutus fuit Senatus, in cauſa Vercell. de Nigris, relata per Dominum meum Senatorem Crauettam. 1589. 28. Aprilis, me patrocinante, & nouiſſimè, me referente, in cauſa Taurinenſi fratrum de Lucianis. 1604. menſe Martij.

AD DECISIONEM CCLIV.

AD *num.* 3. Pro hac opinione eſt tex. cum bona gloſ. in l. ſi multi, de public. per quem textum, & per tradita hic, ego in cauſa Communitatis Dogliani dicebã, quòd Communitas, quæ cauit, quòd ciues ſui non contrauenirent edicto ſuper annona, & extractione grani, à Principe propoſito, ſub certa pęna, præſuppoſita contrauentione à multis, per quam Communitas fuit aſtricta, pœnam conuentam Fiſco ſolue re, poteſt in ſolidum contra vnum, pro recuperatione pecuniæ agere; quia, ex parte damnum paſſi, omnes in ſolidum tenentur, gloſſa ibi in verbo, conſtituerunt.

AD DECISIONEM CCLV.

AD *num.* 6. Quòd non detur adiunctus in criminalibus, videtur tex. Decretorum, in tit. *Del reo.* §. *paſſato*. ibi, *Volendo che tutte le repetitioni, & eſſammationi delli intitolati, & teſtimonij ſi faccino per gli iſteſſi Giudici, in preſentia di alcuni delli Fiſcali, & non altrimente*. Quando autem datur adiunctus Iudex, ſolus non procedit in cauſa, ſine aſſiſtentia adiuncti cl. item ſi vnus, §. 1. & l. ſi in tres. ff. de recept. arbitr.

AD DECISIONEM CCLVI.

IN *fine*. Cum Domino meo hic, & cum iſta deciſ. tranſit recolendæ memoriæ, olim Dominus collega noſter Anton. Sola ſuper nouis Decret. in tit. de iureiur. gloſ. 2. num. 13. vbi adducit bonam rationem; & ad ea quæ hic, in fine traduntur, vide eundem num. 28.

AD DECISIONEM CCLIX.

AD *num.* 4. Hoc idem tenuit Afflict. deciſ. 266. & ad id quod dicitur in num. ſequenti, circa regulam l. per hanc; Adde quòd illa fuit opinio Legiſtarum contra Canoniſtas, quæ ſeruanda eſt, cùm ſimus in ſeculari; qua de re plura doctè quidem diſſerit Rainald. Corſ. indagat. iur. ciu. lib. 2. cap. 6. Afflict. deciſ. 216. vbi ponit multos caſus, & ita aliàs deciſum teſtatur Ozaſc. deciſione 14. vbi tamen limitat in tertia inſtantia; quod eſt verum, ſi noua non producantur capitula; vel niſi alia iuſta cauſa intercedat, per quam ſit locus reſtitutioni in integrum; vt in muliere, pro dotibus agente, iudicauit Senatus, me referente, 1594. 17. Aprilis,

AD

AD DECISIONEM CCLX.

QVæro, ad materiam huius Deciſionis quid ſi pactum ſit factum in inſtrumẽto debiti, vt non poſſit probari ſolutio, niſi per inſtrumenta publica; & pars non opponens hoc pactum, permiſit examinari teſtes, qui probarunt ſolutionem, inde ſequuta eſt ſententia abſolutoria, an poſtea poſſit reſtitui aduerſus ſententiam, opponendo pactum, in cauſa appellationis? Et videtur quòd poſſit iuuari creditor, in ſecunda inſtantia, tali pacto, producendo inſtrumentum, non antea productum, ex regula l. per hanc. C. de tempor. & reparat. appella. Contrarium tamen, propter illam factam probationem; & ſequutam ſententiam, cenſuit Senatus, in cauſa cuiuſdã Hebræi. 1591. ſtante præſertim, quòd huiuſmodi pactum in inſtrumento poſitum non valet, Abb. in cap. ſi diligenti, num. 8. de foro compet. quamuis ego remitterem Iudicis arbitrio; quia aliquando poteſt valere, aliquando non; vt per Ioannem And. ad Spec. in §. nunc videndum, verſic. ſed pone, de probat. Et ad materiam iſtam, quòd non poſſit probari ſolutio, niſi per inſtrumentum, an admittantur teſtes, qui iam ſunt publicati in alio proceſſu, vt faciant probationem, vide quæ doctè ſcribit Martin. Monter. inter Deciſ. Regni Aragoniæ, deciſ. 30.

AD DECISIONEM CCLXIII.

IN *princ.* Simile ſtatutum eſt in Ciuitate Florentiæ, cuius rationabiles cauſas ponit Bald. inter conſ. Angeli, conſil. 282. col. 3. verſic. ex quibus. Et de ſententia Illuſtriſſimi Ducis hic poſita ſciendum eſt, quòd illa ſententia fuit poſtea per ipſum Ducem Ludouicum confirmata, de anno 1546. Nono Decembris; quam ſententiam, cum actis illius cauſæ, vidi in manibus fratrum de Gaſtaldis Taurinenſibus.

AD DECISIONEM CCLXIV.

NVndinarum conceſſionẽ ſolius Principis eſſe docet Plin. ſecundo, epiſt. 4. Non poſſe autem Principem conceſſas auferre, vel longa præſcriptione quæſitas tollere, contra ea quæ tradit Dominus meus hic, num. 3. ſcripſit Alciatus conſ. 24. tom. 2. lib. 5. Cephal. conſ. 342. lib. 3. Crauet. conſ. 640. Et ad quæſtionem hanc faciunt, quæ ſcripſit Arius Pinel. in rubrica, de reſcinden. vendit. par. 1. cap. 3.

AD DECISIONEM CCLXV.

AD *num.* 16. Infertur ex iſto ſtylo non eſſe admittendum patrem, qui pro filio citato comparere, & eum in meritis cauſæ defendere volebat; ita cenſuit Senatus, me referente, in cauſa quadam Aſtenſi contra Duſium, reuocatis ſententijs priorum Iudicum, qui patrem admiſerant, & filium inquiſitum abſoluerant. 1596. 6. Iulij.

AD DECISIONEM CCLXVII.

AD *num.* 4. *verſ. et ſecundum hanc opinionem.* Adde Didac. in Epit. par. 2. cap. 8. in princ. Vincent. de Franch. deciſio. 259. in princ. lib. 2. Et rationem huius immunitatis ponit tex. in l. ſemper. §. demonſtratur. ff. de iure immuni. nempe filiorum educationem; vt ſcilicet pater ei poſſit vacare; & quãuis tex. loquatur ibi de numero ſexdecim filiorum, tamen, vt gloſ. ibi dicit, in verbo, ſexdecim, de facto ſic erat; nõn tamen eſt, quin eadem ratio militet in numero duodecim liberorum.

Ad num. 6. Hæc quæſtio, an nepotes proſint auo ad obtinendam excuſationem à muneribus, & collectis, eſt multùm dubia, & diſputabilis. Et, circumſcriptis traditis per Dominum meum hic, mihi, ſine præiudicio veritatis, videtur in hoc puncto concludendum, quòd vel filius, & nepotes ſimul ſunt viui, & tunc iſti nepotes ad immunitatem obtinendam non proſunt auo; & ita procedere hoc caſu dicta per Rolan. & per Dom. Vincent. de Franch. in deciſ. 259. num. 14. Menoch. conſ. 486. num. 28. verſic. quarta eſt dubitatio. per tex. clarum, & apertum, de muneribus loquentem, in l. 2. C. qui num. lib. ſe excu. ibi, *neque nepotes numerantur, quorum pater ſuperest, etc.* prout in hoc caſu iudicabat Senatus, in cauſa de Pinarolio, contra Dominos fratres de Purpuratis; & in alia propoſita, parte Illuſtriſſimi Domini Michaelis de Salutijs, Dom. Mantæ, & Gubernatoris in Marchionatu Saluciarum. Aut verò pater eſt mortuus, & tunc faciant numerum, & proſint auo, neque ſolum numerentur pro vno capite; prout in ſucceſſionibus ſtatuitur, §. cum filius, Inſtit. de hæred. ab inteſt. repræſentantes patris præmortui perſonam; ſed ſinguli capiantur ſeparatim, & in iſtis terminis intelligatur hæc Deciſio; & ſecunda ampliatio, iuxta quam concludit Ferdinan. Paez. in tracta. de excuſ. parent. num. 37. per textum apertum in l. 3. C. de his qui nu. liber. lib. 10. quia iſta immunitas eſt beneficium, quod latiſſimè habere debet interpretationem. Gabriel. cōſ. 161. num. 1. lib. 2. Menoch. conſ. 297. & 486. Surd. deciſ. 123. num. 6. & propterea, in dubio, pro immunitate dicit pronunciandum Ozaſc. deciſio. 95. num. 18. Et re vera, quando nepotes ſunt penes auum, inhumanitas eſſet dicere, illum, ob numerum nepotum, qui & filij ſunt, non gaudere immunitate à lege conceſſa, vt educationi filiorum commodè vacare poſſit, ſine grauamine onerum, & collectarum; illud enim eſſet ſumere panem filiorum, & dare canibus; neque obſtabit huic æquitati rigor iuris, in l. 2. §. non ſolùm, ff. de excuſat. tutor. vbi plures nepotes pro vno capite numerantur; quia tex. loquitur in excuſando à tutela, quo caſu nihil deperit filijs, & nepotibus; cùm tutor de ſubſtantia ſua minores non alat. Sed ſecus eſt in iſto caſu, vbi tractatur de tollendis alimentis proprijs nepotibus. Et hoc etiam modo reſponderi poteſt ad text. in l. nepotes, C. de his qui nu. lib. lib. 10. quia ibi Imperator loquitur de ciuilibus muneribus; & videtur etiam eo loci excuſatio concedi, ob numerum nepotum, ſi benè ponderetur ille text. Poſſet etiam dici quòd text. in d. l. 2. C. qui num. liber. loquitur de nepotibus ex filia, vt gloſ. ibi, in prima opinione ſentit; & eſt aduertendum, quòd ibi ſimiliter tex. loquitur de muneribus municipalibus, non de patrimonialibus, de quibus, non ſine myſterio, lex non loquitur, dum ad municipalia tantum ſe reſtringit: Et ex his, dubia Senatui reddebatur hæc ampliatio, iterū re propoſita, & re vera text. in d. l. 2. multum ſtringit.

Ad num. 8. Pro iſta ampliatione innumeros, more ſuo, refert Tiraquel. in tract. ceſſante cauſa, limitat. 4. nu. 10. & ſeqq. vbi ad hoc optimè inducit text. in l. 2. §. qui ad munera. ff. de vacat. & excuſat. mun. & vide Lauden. in tractatu de fiſ. quæſt. 198. Nicol. Moro. de treg. & pac. quæſt. 77. in fine. D. Menoch. conſ. 486. num. 24. qui dicit ab iſta opinione non eſſe in iudicando recedendum; Et an ille, qui natus eſt extra tempus ad excuſationem proſit. Vide latè per Camil. Borell. conſ. 28.

Ad num. 9. in fi. Hanc eandem opinionem de qua in iſta quinta ampliatione, ſequutus fuit Senatus, in cauſa Qualiniſij, referente Domino Goueano. 1590. 16. Nouembris.

Ad num. 10. Adde ſequētes ampliatio. ad regulam

regulam hic poſitam, & ſic Amplia.7. vt filij iſti non ſolùm proſint patri ad excuſationem, ſed etiam matri, quo ad bona ſua extra dotalia; prout latè, & doctè, more ſuo, oſtendit Do.Vincent. de Franc.dicta decif.159.num.1.& aliquibus etiam ſeqq.lib.2.

Amplia 8. vt procedat etiã in bonis poſt priuilegium acquiſitis. Menoch. dicto conſ.486.in fine.

Amplia 9. vt filij religionem ingreſſi, etiam naturales, proſint patri, ad immunitatem obtinendam; vt latè per Fran. à Ponte conſi.16.per totum,& conſ.17.

Amplia 10. vt nec Princeps poſſit hanc immunitatem reuocare; quia eſſet auferre ius tertij, à lege communi quæſitum; quod Princeps, de poteſtate ordinaria, & ſine euidenti neceſſitate publica, auferre non poteſt; vt aliàs diximus,& ita cenſuit Senatus, contra Vniuerſitatem Monticalerij, quæ à Principe obtinuerat, vt milites poſſint hoſpitari in qualibet domo, etiam priuilegiatorum, ob num.12. liberorum; & cenſuit tale reſcriptum non eſſe interinandum. 1592. referente D.Goueano.

*Ad num.*11. Ad iſtam limitationem, multa in facti contingentia dicta fuerunt, propter nouiſſimè tradita per Menoch. in dicto conſ.486.qui tenet contra Decif. ad cuius argumenta facilis patet reſponſio, præſertim dum ampliat opinionem ſuam, eo in caſu, quando fratres poſt mortẽ patris bona diuiſerunt, hoc enim eſt contra omnia iura mundi, habita ratione patrimonij, & ad onera, quæ propter patrimonium imponuntur; & pro opinione Domini Menoch. extat deciſio Senatus Mediolanenſis, quæ diſponit, huiuſmodi filios, etiamſi omnes non ſint viui tempore mortis patris perſeuerare in fruenda immunitate, dummodo ſimul in communione viuant,& habitent; quæ deciſio fuit facta de anno 1563. 10.Nouembris,& eſt impreſſa inter ordinationes illius Senatus pag.66.& dubiam etiam reddebant iſtam opinionem tradita per Surd. deciſ. 123. qui vult immunitatem iſtam dari filijs principaliter. Verùm illis non obſtantibus hanc fallentiam, & limitationem comprobauit Senatus, etiã ſtante reſcripto Principis, per quod diſponebatur, vt duraret immunitas poſt mortem patris, filijs ſtantibus in communione, prout de ſtylo Cancellariæ noſtrę ſolebat antiquitus fieri; quia fuit dictum tale reſcriptum nõ nocere Communitati, etiam quòd eſſet interinatũ, & ita fuit iudicatum, in prædicta cauſa Qualiuſij, contra fratres de Turinetis; & iterum 1591. menſe Auguſti. & de anno 1597.21.Maij, referente Clariſſimo Domino meo Senatore Crauetta; non obſtantibus ſcriptis per Dom. Menoch. quæ ſententia fuit lata congregatis claſſibus, & toto ſedente Senatu ob difficultatem quæſtionis; & iterum nemine diſcrepante, in cauſa Domini Renati Salutij. 1599. 18. Martij, non obſtante iuſſione Principis de interinando. Et eùm de anno 1600. 6. Decembris, quæſtione propoſita, fuiſſent viſa ſcripta per Dom. Surd. fuit dictum non eſſe ab iſta opinione recedendum, quia illius rationes non militant, præſertim dum defendit immunitatem iſtam dari filijs principaliter; quia hoc eſt contra iura aperta, per quæ apparet immunitatẽ eſſe perſonaliſſimam, & competere ſoli patri, propter liberos; perſonæ autem data immunitas, cum perſona extinguitur. l.1.l.ſemper. §.immunitati. ff.de iure immunita. vbi gloſ. 5. in verbo, liberis. immò in perſonalibus muneribus, patre, ob numerum, excuſato, filij munera ſubeunt, quoties commodè poſſunt. l. fin. C.qui nu.lib. ſe excuſ.lib.10. & eùm, illo anno, Excellentiſſimus Cancellarius, qui tunc viuebat, Dominicus Bellus, poſtulaſſet à Senatu, vt reſcriberet, quid hac in re ſentiret, fuit reſponſum non eſſe à ſuprascriptis Deciſion.recedendum; & à litteris in poſterum eſſe tollendam

clau-

Digitized by Google

clauſulam illam, quæ de ſtylo Cancellariæ antiquæ apponi erat ſolita; vt filij in communione viuentes, poſt mortem patris, immunitate gauderet, quia ille ſtylus erat contra ius: Vnde in poſterum non erit ampliùs ſuper hac quæſtione controuertendum; niſi eſſemus in locis, vbi appareret per conſuetudinem aliter obſeruatum fuiſſe, prout per aliquot ex Dominis dicebatur, iſtam conſuetudinem eſſe antiquiſſimam, & inueteratam in Comitatu Aſtenſi; quo loci ego dicebam, illam conſuetudinem vel à Gallis, qui Comitatum longo tempore occupauerant, vel à ſtylo Mediolanenſi, dum patria illa eſſet ſub illo Ducatu prodijſſe.

An autem frater immunis ob numerum duodecim liberorum communiter immunitatem faciat fratri ſimul habitanti dubitari poteſt. Et Menoch. de arbitr. iudicum, caſu 379. tenet pro affirmatiua, & ibi multos allegat concordantes; quibus addo Nattam conſi. 1. nume. 10. Additio. ad Alb. conſ. 519. litera A. Sed ego dubito de Menochij ſententia. Et Senatui, in facti contingentia, videbatur dura opinio Nattæ, & periculoſa; & cùm fuiſſet ſuper ea diſputatum, nihil fuit reſolutum. Inclinabat tamen maior pars, quòd talis immunitas fratri non prodeſſet; quod credo verius, ne immunitas in præiudiciũ Communitatis, & pauperum onera ſoluentium extendatur.

Ad num. 14. Adde ad materiam huius limitationis Vincent. de Franch. deciſione 259. in principio. & ſolet Senatus, hac in re, in perſonis hoſpitum, & aliorum mercatorum vti hoc temperamento, vt non teneatur pater ſoluere gabellam pro rebus quas pro vſu ſuo, & familiæ conducit; ſecùs pro alijs, quæ cauſa negociationis comparantur; & ita fuit iudicatum in cauſa Communitatis Cherij, cuius ego eram aduocatus, contra Crollandum. 1590. nono Nouembris, referente doctiſſimo, & acutiſſimo Domino Senatore Goueano; quia immunitas conceſſa à lege, vel Principe ad talia non extenditur, quæ cauſa negotiationis introducuntur; vt per Boerium deciſ. 246. num. 4. Nattam conſil. 139. per totum. Rolandum conſil. 71. nume. 10. lib. 4. Verùm ego dubitabam de iſta opinione; quia iſtud priuilegium, cùm ſit fauorabile patri, vt commodiùs poſſit vacare educationi liberorum, erit extendendum ad iſtam negotiationem, quæ à patre, grauato liberis, fieri ſolet; nam illud negotium dat victum filijs, & Princeps debet eſſe profuſus in gratijs ſimilibus concedendis, vt hominum copia ſtatus augeatur, non autem reſtringere ſe; Ideò benè, in propoſito, conſuluit Alba. conſil. 519. nume. 6. quòd, ius commune loquens de immunitate duodecim liberorum, comprehendit etiam onera, quæ à Principe imponuntur, & illa obſeruantia Cameræ, de qua in iſta Deciſione numquam placuit Senatui; quia eſt contra regulam, quæ habet, quòd, in iſtis conceſſionibus, ſibi, non alijs poſſit Princeps concedens præiudicare; de qua per Ioann. Andr. in cap. peruenit, extra de immunit. eccleſ. Luc. de Penna in l. actores, C. de extraord. exact. lib. 10. Immò, cùm ex priuilegio iuris hoc ſit patri tributum, Princeps, qui lex eſt viua, illud debet ſeruare in ſui præiudicium, & illi magis conuenit obſeruantia; Et ſententia Senatus, in cauſa prædicta de Cherio, poteſt habere locum, quando tractatur vniuerſaliter de ſolutione gabellæ, quæ imponitur ſuper rebus cibarijs, vt eſt exemplum in noua gabella vini, quæ dicitur foglietta, quam ſoluunt hoſpites; nam ab illa ſunt immunes, pro illa quantitate vini, quæ à cõductoribus taxatur, pro vſu hoſpitis, & familiæ, vel qualibet alia immunitate conceſſa ex priuilegio perſonali, vt pote in immunitate cõceſſa clericis, vel nobilibus, & ſimilib., in iure priuilegiatis;

tis; non autẽ procedet, in caſu immunitatis prędictæ ob num. 12. liberorũ, quę habet fauorem ſpecialem. Et propterea iſtis attentis re iterum propoſita, cenſuit Senatus, mulionem negotiatorem, & omnes duodecim liberos habentes, eſſe immunes à dacitis, & gabellis, referente D. Guerillo. 1601. 27. Octobris.

Ad num. 15. Super iſta limitatione, multa fuerunt dicta in facti contingẽtia, cùm ſuper ea in Senatu controuerteretur, & diſputata altiùs hac quæſtione, congregato toto Senatu, in cauſa de Pinarolio, anno 1591. 27. Augusti, cenſuit Senatus veriorem, & æquiorem eſſe opinionem Nat. & Rolandi, vt etiam à bellicis muneribus immunis ſit pater 12. liberorũ; & fuit dictum ita in futurum obſeruandum; Et iterum in alia cauſa de Caramania, relata per Dominũ Senatorem Fauzonum. 1594. 17. Nouembris. & in cauſa de Pinatolio, contra Napionum, me referente. 1598. 18. Maij. Et propterea fuit etiam reſponſum, per Senatum Excellentiſſimum, Cancellario, vt in poſterum litteris immunitatis, quæ à Principe conceduntur, ad tollendas omnes difficultates, adderetur illa clauſula, quòd à bellicis oneribus, vel quæ cauſa belli imponuntur talis pater numeroſæ prolis excuſaretur, prout vidi poſtea factum, eo tempore, viuente Excellentiſſimo, atq; integerrimo illo viro, cuius inexpectatam mortem patria iſta ſemper, non ſine mœrore, & lachrymis reminiſcet. Et pro iſta opinione ego dicebam extare concilium Io. Thomæ de Maioribus, inter conſ. Alb. conſil. 794. quamuis quidam dicerent attentari poſſe, vt procedat hæc opinio poſterior Senatus, quando pater, ex cauſa liberorũ, ita eſt expenſis onuſtus, vt non poſſit onera ſoluere; ſed ſi pater eſſet diues, ita quòd poſſet ſine magno incõmodo vacare educationi filiorum, & ſolutioni onerum militarium; tunc aliud eſſet dicendũ; Quam differentiam inter diuitem, & pauperem conſtituit Iaſ. in l. ſi ex toto, num. 16. verſ. quarto facit. poſt Iacob. de Ardiz. ff. de legat. 1. Addit. ad Guid. Pap. quæſt. 401. in fine. finge enim inter multos pauperes cuiuſdam vniuerſitatis eſſe aliquem ditiſſimum, & qui maiorem partem regiſtri poſſideat, certè iniquũ eſſet, vt ſub prętextu iſtius excuſationis alij pauperes, ipſo excuſato, collectam ſoluerent; Et, cùm hoc temperamento, aliàs tranſiſſe Senatum dicebatur, in quadam cauſa Venauſi, referente Domino Senatore Ferrerio; de qua fuit facta mentio hic, num. 9. Videtur enim contra diuinam, naturalem, & ciuilem legem, vt tenuiores, & pauperiores in oneribus tantùm grauentur, vt pulchrè adnotauit Papon. in titu. de tale. & impoſit. Areſto. 39. col. 4. & eueniret id quod dicit Iuriſconſ. in l. 3. §. Præſes. ff. de muner. & honor. vt ex iniquitate ſimul viris, & viribus Reſpublicæ deſtituantur. & conueniret huic illa Aeſopi fabula, de aſino, & equo. Verùm Senatus nouiſſimè indiſtinctè tranſiuit cum immunitate, in ardua cauſa eiuſdem Ciuitatis Pinaroli j, contra Illuſtres Dominos fratres de Purpuratis 1602. decimanona Aprilis, referente Domino Loſeo. In qua tamen cauſa fuit dictum, quòd non procederet immunitas in homine diuite, quo ad illa onera, quæ loci conſeruationem, & communem vtilitatem reſpiciunt; & quo ad expenſas factas tempore, quo inimicus fuit cum ſuis militibus circa locum Pinaroli j, & oppidis circumuicinis; conſiderando, quod eo caſu teneretur quilibet immunis, prout tenerentur eo caſu eccleſiaſtici, vt per Abb. in c. non minus, de immun. eccleſ. & re vera magna debet eſſe illa opulentia in patre, vt poſſit grauari aduerſus immunitatem à iure conceſſam; nam ille, qui eſt onuſtus numero 12. liberorum, taleonus ſuſtinet, vt nũquam dici poſſit diues, cùm tantam familiam alere, & filiabus de dote prouidere teneatur; Et propterea, in prædicta cauſa de Pi-

de Pinarolio, nulla fuit per Senatum habita ratio iuſſionis Principis, qui reſcripſerat, & iuſſerat, vt omnia onera indiſtinctè cauſa belli impoſita ſoluerentur.

Ad finem deciſionis. Adde limitationem ad reg. quæ habet, quòd pater ſit immunis, vt non procedat in oneribus priuatis, quæ ſoluuntur ex cauſa emphyteuſis, vel cenſus, quia cùm hæc ſint onera realia, quæ rem ſequuntur, ad illa tenebitur. Alexand. conſi. 123. col. 2. lib. 5. Hippol. Riminal. conſ. 25. nu. 42. lib. primo.

AD DECISIONEM CCLXIX.

Cum de patria noſtra Foſſani mentio hic facta fuerit, ſubijciam verſus colendiſſimi Patris, quos in fontem Sancti Georgij illius Ciuitatis ſaluberrimum conſcripſit.

Foſſano fons hic ſanus, atque vnda ſalubris;
Nomen dulce dedit Gallica verbâ ſonans.
O *Ciues ſacrate locum, qui traxit in Horeb*
De petra flumen has benedixit aquas.
Hic omnes caſti pueri, innuptaque puella,
Et puri puras ſumite fontis aquas.
Nympha, loci cuſtos ſancti, cupit omnia caſta,
Audiat vt nihil turpe, nihil videat.

Ant. Teſſ. Præſes poſteritati DD. 1592.

AD DECISIONEM CCLXX.

Ampliationibus hic poſitis. Adde vndecimam ampliationem vt hæc tranſlatio iuris deferendi nomen, & arma, poſſit fieri, etiam inuitis alijs agnatis, per ea quæ dicit Crauet. conſil. 829. col. 2. verſicu. quid autem. vbi etiam vult, tale ius alieni cognominis deferendi, præſcriptione acquiri. Et, ſi quis concedat licentiam alicui, vel grauet de reſtituendo hereditatem illi, qui deferat nomen, & arma teſtatoris, quod intelligatur in futurum, latè conſuluit Crauet. conſ. 130.

Ad num. 11. Super illa deciſione Guid. Papæ 467. quam Do. meus hic allegauit, adde, quòd opinionem Guidonis ſequitur nouiſſimè Marzar. conſ. 28. Decian. conſi. 16. nu. 31. lib. 4. & poſt eos Surd. conſ. 369. num. 21. qui non benè percepit ſcripta D. mei, nam ille non impugnat Deciſionem Papæ, ſed dicit periculoſam ſi ſimpliciter intelligatur, quòd eſt veriſſimum.

Ad num. 34. de illa conſeruandæ nobilitatis forma, per imagines, & ſtatuas, mentionem facit Bald. inter conſi. Angeli, conſ. 281. col. 3. ver. & quòd talis menſ. Et ad id, quòd hic dicitur de inſignibus, adde, ab ipſis bellorum Ducibus, & militibus vſitata pro libito inſignia fuiſſe, prout eleganter indicat nobis Virg. locus, lib. 7. Aeneidos, vbi Turni ſcutum deſignans Iouem, & Argum in eo depictos oſtendit; Antiquam verò Romanorum temporibus conſuetudinem, de armis, & inſignibus fuiſſe demonſtrat lex illa Heraldorum ab Octauiano Auguſto prolata, quam refert Corn. Agrippa, in lib. de vanita. ſcient. cap. 81. in qua ſimile refertur hac de re caput. *Arma, inſignia, nomina, et ornamenta, Heros ferto, qua Reges decent*: Iſtiſq; inſignibus vtebantur veteres, in eorum ſigillis, & ſigillarijs, vt de Galba Imperatore teſtatur Dion. prout etiam refert Rodigin. lect. antiquarum, lib. 6. cap. 12. in fi. hic enim ſignatorium habuit annulum, cuius erat ſculptura, canis è prora ſe proclinans; quòd inſigne maioribus ſuis familiare fuiſſe refert Dion. in Galba: Vnde non malè loca illa Iuriſconſultorum, in l. & fi. §. item Celſus, ff. de auro & arg. leg. & l. Quæſitum. 12. §. Papinianus, ff. de fun. inſtru. l. in rem actio. 24. §. ſi quis rei ſuæ, ff. de

rei vindic. in l. æquiſſimum, §. ſed ſi ædium. ff. de vſufruc. in l. fundi. 18. §. caſtella. ff. de act. emp. (vbi de ſigillo mentio fit) non de ſtatuis, vt quidam voluerunt; ſed de inſignijs, & armis iſtis intelligentur; vt ipſorum locorum lectura ſatis clarè demõſtrat. Nauibus etiam inſignia præficiebantur, vt in Act. Apoſtol. cap. 28. refertur, Diuum Paulum nauigaſſe in naui, cuius inſigne erat, Caſtor, id eſt figura Caſtoris, & Pollucis, de quibus eſt text. in dicto §. item Celſus, ibi, *Nec aurea emblemata, quæ in paropſidibus argenteis eſſent.*

Ad finem deciſionis ibi, Laurentius Valla.
Adde, quòd hic Valla fuit Iuriſconſultorum; immò ſcriptorũ omnium Zoilus; Vnde non inſulsè in eum luſit modernus quidam Poeta, hoc diſticho.

Tartareos manes defunctus Valla petiuit,
Non audet Pluto, verba latina loqui.

Faxit Deus, vt tales Zoili aduerſus hæc noſtra ſcripta non reperiantur,
ſed de omnibus Laus Deo, & Virgini Glorioſiſſimæ
per ſecula ſeculorum tribuatur.

QVO

QVONIAM SVPRA AD DECIS. CXXXII. poſitum fuit à me reſponſum redditum ſuper ea quæſtione quæ de anno 1590. 12. Nouembris fuit parte Sereniſſimi Ducis propoſita, an cognitio, & pœnæ Edictorum generalium Principis ſpectent ad Vaſallos; ne ſint in occulto iura ipſius D. Mei Ducis, ac ipſius Patrimonij, neve detur occaſio Dominis Patrimonialibus conquerendi, volui in calce harum Annotationum ſubnectere Reſponſum fauore D. Procuratoris Fiſcalis redditum ſuper ea materia per acutiſſimum, & doctiſſimum D. Aduocatum Patrimonij, Bagnaſachum; vt, ſi quæ in meo conſilio dicta fuerint, quæ aures aliquorum offendant (quod non credo) omnia tela grauiſſimi viri ſcriptis retundantur.

RESPONSVM

PRO D. PROCVRATORE FISCI SERENISSIMI DVCIS SABAVDIÆ,

Ad quæſtionem, an cognitio, & pœna proclamatum ſeu edictorum generalium Principis, in Terris Vaſallorum ſint ipſius Principis, an verò Vaſallorum.

QVÆSTIO grauis proponitur, an ſcilicet cognitio, & pœna edictorum, ſeu proclamatum generaliũ, quæ à Principe fiunt, ſpectent ad Vaſallos, ſeu feudatarios inueſtitos cum mero, mixto imperio, & omnimoda iuriſdictione in eorum Terris, quoad ſuos ſubditos contrauenientes ipſis edictis, an verò ſpectent ad Principem directum, & ſuperiorem dominum. Similiter de inquiſitione, quæ fit contra Notarios generaliter, vigore Decretorum Ducalium, quòd protocolla, & notulas, vt aiunt, non tenuerint, & in extendendis inſtrumentis non ſeruauerint formam in eiſdem Decretis præſcriptã, an hoc in caſu cognitio, & pęna ſpectet ad vaſallos in eorum terris, quoad notarios eorum ſubditos, an verò etiam debeat eſſe Principis, cùm per dicta Decreta Ducalia pena generaliter, & indiſtinctè applicetur Fiſco Ducali. 1

Et nonnulli tenuerunt, quòd cognitio cauſarum, & penæ edictorum Principis debeant ſpectare vaſallis, non autem Principi, & fuit hæc originalis opinio Aegidij Boſſij Mediolanẽſis, in ſuo opere variorum tractatuum, titulo de penis

nis.num.25.& 26. vbi ait, quòd ſi Princeps, poſtquàm vaſallus eſt inueſtitus, faceret proclama, vel decretum, puniẽs vti delictum, quod anteà licebat, eo caſu, inquit, vbi committeretur delictum illud per ſubditos feudatarij, poteſt iudex feudatarij cognoſcere, & ſibi applicare pęnam; ex quo in feudatario eſt iuriſdictio, merum, & mixtum imperium, à quo naſcuntur pęnæ, in illo loco, quæ ſunt fructus iuriſdictionis, meri, & mixti imperij, iuxta nota. in l. fin. ff. ſolut. matrim. & facit, inquit, quòd quicquid plantatur, & ſeritur cedit ſolo. §. ex diuerſo. Inſtitu. de rer. diuiſio. & per Alex. & Iaſonem, in l. 1. §. nunc videamus, ff. de no. oper. nũcia. & ideò, etiam quod ſeminat Princeps, vt ita dixerim, (ait ille,) in mero, mixto imperio, & iuriſdictione alterius, eſt domini iuriſdictionis: ſubiungẽs ibidem, quod vbi Princeps non curaret, vt publicaretur ſua noua lex, vel non haberet locũ in terra feudatarij, poſſet feudatarius idem ſtatuere, ibidem; etiam quòd ſtatutum, (inquit,) eſſet contra ius commune, iuxta nota. per Iaſonem in l. omnes populi. in fi. ff. de iuſti. & iure. & pro hac ſua opinione inducit Docto. qui, vt ait, generaliter volunt, vt ſi quis ſit inueſtitus cum mero & mixto imperio, eius ſint emolumenta, & pęnæ, vt Bald. in l. 1. ff. de rer. diuiſio. quæſtio. 44. & Præpoſi. in cap. 1. in fi. de controuer. inter vaſal. & Epiſc. Brun. conſilio 23. in fine.

Eundem Boſſium ſequutus eſt Natta, conſulendo, vt per eum, in conſi. 659. per totum, vbi loquitur de pęna confiſcationis bonorum, impoſita per decretũ, ſeu edictum Principis, contra deferentes archibuſios à rota, publicatum, vt ibi dicitur, in principalioribus locis prouinciæ, quòd talis pęna in terra feudatarij debeat eſſe ipſius feudatarij; & ibidem, num. 5. & 6. loquitur iuxta terminos Boſſij, vtrum ſi, poſtquàm vaſallus eſt inueſtitus, Princeps faciat proclama vel decretum puniens vti delictum, quod antea licebat, quòd eo caſu, vbi committeretur delictum illud per ſubditum feudatarij, poſſit iudex feudatarij cognoſcere, & ſibi applicare pęnas, per eaſdem rationes Boſſij; & vltra adducta per eum, ait, melius facere, quòd, vbi aliquid diſponitur per verba vniuerſalia, capiendo nomen vniuerſale, prout accipitur in hac materia, videlicet plura ſub ſe complectens collectiuè, vt eſt in caſu iſto merum imperium, quod habet ſub ſe plures gradus pęnarum, & plures ſpecies delictorum, tunc ſub huiuſmodi diſpoſitione veniunt, inquit, futura augmenta, & acceſſiones l. peculium. ff. de leg. 2. l. grege. ff. de leg. 1. & l. pen. ff. de fundo inſtruc. c. quia circa. & c. cùm capella. de priuileg. tradit Bar. in l. ſi ita. ff. de auro & arg. legato. col. 2. verſ. eſt videndum quando oratio. & ibi alios refert idem Natta, & comprobat hanc opinionem, vt per eum.

Et nouiſſimè ita etiam tenet doctiſſimus D. Amedeus à Ponte, in ſuis quæſtionibus laudimialibus quæſtio. 24. col. 5. verſ. limitant etiam. vbi & ipſe confirmat, dicens, quòd cùm feudatarius generaliter ſit inueſtitus de mero, & mixto imperio, vtilique dominio, quicquid inde prouenire poteſt, in inueſtitura, inquit, continetur, & ratione dictæ iuriſdictionis, & meri imperij, ipſe proclamata facere de nouo poteſt, ſuper nõ delictis, & pęnas imponere, allegat Ang. in l. 1. ff. quod quiſque iuris. Alex. conſ. 124. nume. 4. lib. 4. Iacobi à ſan. Georgio. in verbo, cum mero. vnde, ſicuti pęnæ, inquit, prouenientes ex nouo edicto, per ipſum faciendo, ad eum ſpectant, ita etiam ex nouo edicto Principis, cùm in ſtatuendo ipſe etiam vices Principis gerat, & eius auctoritate ſtatuat; & quoad emolumentum conſequendum non eſt probabile diſcrimen, ait, inter vnum caſum & alterum; prout ita dicit tenere Egid. Boſſium, in d. tit. de

tit. de pœnis. nume. 15. & 16. & Nattam d. conſil. 659. & licet mulctæ, vt ait, ex delicto per edictum Principis applicentur Cameræ Ducali, hoc inquit, intelligitur procedere in Terris immediatis, non mediatis; neque enim, per hanc viam feudatarij, ait, fraudandi ſunt ſuis emolumentis: allegat Iaſonem, cõſ. 57. circa fin. lib. 3. & ita, prout refert, cenſuit Senatus, de anno 1571. in cauſa Dominorum Valpergiæ & Molli, qui etiam, in eadem ſententia, vt refert, declarauit edictum, applicans mulctam fiſco Ducali, intelligi, quoad ſubditos feudatariorum, quando extra eorum territorium delinquerent: dicit tamen quòd prædicta reſtringi poſſent, vbi Princeps ſtatueret circa regalia, de quibus vaſallus non eſſet inueſtitus, nam eo caſu, ſecundum eum, procedere poſſet opinio contraria, alioquin pœna, ex edicto Principis proueniens, immediato applicanda eſt; & non militat in hoc caſu, ſecundum eum, ratio, quæ in ſuperiori limitatione adducitur, quando pœna apponitur pro tuitione ſuæ iuriſdictionis, nam tunc contraueniens efficitur quodammodo de foro Iuſdicentis: item non videtur, quòd aliter Iuſdicẽs tueri poſſet ſuam iuriſdictionem, quia eius vileſceret authoritas, inquit, ſi non poſſet pœnas indictas exigere; in edicto autem generali Principis, cuius principalis intentio eſt, vt edicta ſeruentur, regulariter ſufficit, vt contrauentores puniantur, ſiue per officiales Principis, ſiue per feudatarios, qui, & ipſi Principis vice ius dicunt. adducit Bald. in l. 1. q. 7. ff. de offic. conſulis. & Brun. conſil. 103. num. 4.

Et paulò poſt, reaſſumendo eandem materiam, ibidem col. 8. verſ. & qua ratione. dicit, quòd qua ratione vaſallus eſt iudex competens in cauſis ſaluaguardiarum, multò fortius erit, inquit, etiam competens, vbi agitur de cõtrauentione edictorum Principis. Si tamen Principis intereſſe poſſet, ipſe, vel eius officialis cognoſceret, prout in cauſis contrauentionum, concernentium redditus Principis, puta gabellæ ſalis, vel aliorum vectigalium Principis, in quibus, licet feudatarij poſſint cognoſcere, ſecundum eum, & teneantur, pro poſſe, iura Principis conſeruare, poteſt tamen principaliter ipſe Princeps, vel eius officialis cognoſcere; & ſi per feudatarium erit præuentum, non impedietur, inquit, eius cognitio, ſed poterit Princeps de modo procedendi ſe informare, & prouidere ne iura ſua patrimonialia detrimentum capiant, prout expedire ſibi videbitur. Hæc ſunt in effectu, quæ adducuntur per præfatos Doctores, pro defenſione eorum opinionis, circa hanc quæſtionem.

Quibus tamen non obſtantibus, contrarium de iure verius cenſeo. & pro huiuſce propoſitæ quæſtionis veritatis indagine, præmittere oportet nonnulla euidentalia, licet vulgaria, attamen neceſſaria pro determinatione præſentis quæſtionis. Et in primis præmittitur illud vulgatum, quòd Princeps, penes quem, ante infeudationem, erat omnis iuriſdictio, & authoritas in Terra feudatarij, nunquam tantam concedit auctoritatem, & iuriſdictionem, quin maiorem ſibi retineat, & apud eum remaneat, tex. eſt notabilis, qui ad hoc allegari ſolet, in c. dudum, §. nos autem, de præbendis. in 6. ibi, penes nos tamen nihilominus remanſit maior. vbi gloſ. & Gemin. referunt dictum Archidiaconi, quòd fons ſcaturiens maior eſt quàm riuus ab eo procedens, & illum text. in propoſito ſingularem, & peregrinum dicit Gramm. conſ. 6. num. 23. & idem Grammat. voto 28. nume. 3. & 4. vbi, ex eo tex. dicit, quòd ſemper remanet domino concedenti maior iuriſdictio & poteſtas, quàm transferat in alium, eũdem tex. ad hoc allegat. Afflict. in §. itẽ ſi quis feudum num. 6. & 7. quib. mod. feud. amitta. titu. 1. & in §. ad hæc. nu. 6. de pace iuramento fir. & Affli. ac Gram.

ad

ad hoc propoſitum refert, & ſequitur Natt.conſ.487.num.24. & tribus ſeqq. vbi plura alia adducit.

Et verum eſſe probatur; quandoquidem ſciendum eſt,& hoc erit ſecundum euidentiale, quia, vt dicit Alberic.in l.1.in fi.ff.de offi.eius cui mand.eſt iuriſ. quē referunt, & ſequuntur Repetentes Luſita. in l. imperium. colum.13.verſic.3. principaliter.ff.de iuriſdict.omn.iudic. Princeps duplex ius habere dicitur, in caſtro, vnum tamquam dominus particularis dicti Caſtri, & illud tranſit in conceſſione caſtri cum territorio, aliud tamquam Princeps, & dominus vniuerſalis in toto regno, & illud ius non venit in tali conceſſione. eundem Alberic. nec non alios referunt etiam Moderni Pariſien. ad conſuetud. Pariſienſes,§.1.glo.5.num.53. verſ. duplex ius habet Rex. Hoc autem dictum Alberici declaro,nam,licet Princeps inueſtiat vaſallum de mero, & mixto imperio, attamen,non omne merum,& mixtum imperium transfert; ſed quemadmodū plures ſunt gradus meri, & mixti imperij,vt tradunt omnes in d.l.imperiū, ff.de iuriſdict. omn. iudicum. ita quoſdam gradus, ſeu ſpecies transfert in vaſallum, quoad vtile dominium tantum, retento directo, quoſdam autem gradus imperij meri, & mixti Princeps non transfert,ſed retinet penes ſe,& illud,pleno iure, remanet apud eū quantum ad directum, & vtile dominium;& hoc eſt ius ſuperioritatis, & alti dominij, quod appellant, cuius ratione dicimus, quòd ſubditi vaſallorum dicūtur, & ſunt ſubditi Principis ſuperioris, & vniuerſalis Domini, imò per prius, & principaliter dicuntur ſubditi Principis, & per poſterius ſunt ſubditi ipſius feudatarij; tùm quia, quantùm ad vaſallum, ſunt ex re ipſius Principis, ratione directi dominij,& pro qua re pręſtatur per vaſallum fidelitas,ſeu homagium, vt declarat Bart. in l. Claudius. circa fi.ff.qui potio.in pigno. hab. & in l.de acceſſionibus,ff.de diuerſ. & tempo.actio. Iſer. & poſt eum alij communiter in c.imperialem.in §.illud.nu.62. de prohib. feudi aliena. per Federic. cū alijs, aliàs per nos adductis, in allegationibus, ad articulum, ſeu quæſtionē, an vaſallus poſſit ſibi facere iurare fidelitatem ligiam, per ſubditos ſuos; Tùm etiam, & multò magis dicuntur ſubditi Principis,ratione iuriſdictionis, & dominij vniuerſalis,vt per Afflict. in cap.1.§.vt autem æquitas.in 9. nota.de pace iuram.firm.Iacobi.à San.Georgio. in ſua inueſtitura. in verbo, & promiſerunt,colum.5. verſ. non quæro. Curt. iun.conſ.137.col.2.quos, cum alijs, refert Natta d. conſ. 487.num.22.& 33. & per nos, in dictis allegationib.nu.7. verſ. declaratur etiam. & num.16.verſ. non etiam obſtat.& verſ. ſecundò limitatur.vnde,vt ibidem probauimus,Princeps eiſdem ſubditis præcipit, & ipſi Principi tamquam ſuperiori, & vniuerſali domino tenentur iurare fidelitatē. ita Bal.in tit.de pace cōſtantiæ. colum. pen.in verbo,hæc ſunt nomina.& Iacobi à San. Georgiò. in d. inueſtitura. in verbo. qui quidem inueſtiti. colum. 3. circa finem. verſ. an autem vaſallus. & Natta d.conſil.487.num. 21. & hæc fidelitas,quæ debetur ſuperiori domino, dicitur, & eſt ligia, vt ibidem etiam in eiſdem allegationibus dicebamus, nume.4.& 5. & num. 9. verſ. ſit ergo concluſio.non refero Doct.ibi citatos,quia non expedit.

Præmitto adhuc, & tertiò, pro prædictorum, & propoſitæ quæſtionis declaratione,quòd circa gradus meri, & mixti imperij, vt tradunt Doct. in d. l. imperium, duo primi tantùm ſunt conſiderandi,in propoſito noſtro, circa Principem, & vaſallum, Primus gradus eſt maximum imperium merum, & mixtum;Secundus eſt magnum imperium, etiam merum, & mixtum. Princeps, inueſtiendo vaſallum,concedit,& communicat iſtum ſecundum gradum imperij

perij meri, & mixti; & eſt illud, de quo loquitur. d. l. imperium. & illud ſolet communicari maioribus magiſtratibus, iuxta tradita per Docto. in l. 1. ff. de off. eius cui mand. eſt iuriſdict. quæ autem conſequatur vaſallus inueſtitus de caſtro, cum dicto mero, & mixto imperio, & quæ contineãtur ſub illo magno imperio mero, & mixto, docent omnes Docto. ibi, in d. l. imperium. & Iacobi. à San. Georgio. in inueſtitura feudali. in verbo, cum mero, & mixto imperio. colum. 1. verſ. ſed quæro, quid conſequitur nobilis. & colum. ſequen. non refero, quia nota ſunt, & non expedit. Primum autem gradum, nempe imperium maximum merum, & mixtum Princeps ſibi retinet, & non ſolet in alios transferre. ita declarat Iaſ. in d. l. 1. nume. 14. ff. de offic. eius cui mand. eſt iuriſdic. & communiter alij, in d. l. imperium, præcipuè Claudius de Seyſſello, colum. 6. verſ. vnde mihi rectiùs. & Riminald. colum. 16. dicentes, quòd de iſto imperio ſupremo, quod eſt in ſolo Principe, non loquitur d. l. Imperium; quia iuriſconſultus, ibi, non intellexit tractare, niſi de illo imperio, quòd Princeps ſolet communicare magiſtratibus, non verò de illo, quod competit Imperatori. idem dicunt Repetentes Luſitani, ibi, colum. 12. verſ. de imperio ergò. Quæ autem ſint, & dicantur eſſe de maximo imperio mero, & mixto, retento per Principem, docent pariter Docto. in d. l. imperium. præcipuè Baldus, colum. 3. verſ. circa tertiam quæſtionem. & poſt eum alij; & licet Docto. confusè, & permixtim illa recenſeant, non diſtinguentes, quæ ſint meri imperij, & quæ mixti, attamen dicendum eſt, hanc eſſe regulam infallibilem, vt dicit Angel. ibi, declarando, & diffiniendo merum, & mixtum imperium ſecundi gradus, quòd quæcunque expediuntur per Principem officio iudicis nobiliſſimo, ad vtilitatem publicam principaliter, illa dicantur eſſe meri imperij maximi, quæ autem per eundem Principem etiã ſiunt officio iudicis nobiliſſimo, principaliter ad vtilitatem priuatam, illa mixti imperij cenſetur; &, vt ad exempla deueniamus, Bart. ibi, in d. l. imperium. colum. 3. verſ. quæro exempla de mero imperio. ponit vnum exemplum meri imperij maximi, ſcilicet condere legem generalem; & eiuſdem ſpeciei ſunt quæcunque alia, quæ Princeps ſolet facere ex poteſtate ſua ſuprema, principaliter ad vtilitatem publicam, puta cudere monetam, vectigalia imponere: Mixti verò imperij maximi exempla ponit idem Bar. ibi, colum. pen. verſic. eſt etenim quoddam mixtum maximum. vt dare veniam ætatis impetranti, & ſequuntur alij; & ſub hoc ponũtur etiam alia, vt creare tabelliones, legitimare ſpurios, & alia ſimilia, quæ per Principem expediuntur officio ſuo nobiliſſimo, & reſpiciunt vtilitatem priuatam. Hæc itaque quæcunque ſint, ſiue meri, ſiue mixti imperij, intelliguntur, & ſunt vti præcipua eidem Principi reſeruata, & dicuntur iura imperij ſeu iura imperialia, eo quòd ſunt de illo maximo, & ſupremo Imperio Principis; & aliàs dicuntur iura regalia, vt in tit. quæ ſint regalia. & quæ non concedi, nec communicari ſolent, nec veniunt in conceſſione, quantumuis generali, vt in ca. quod translationem. de offic. legati. vbi gl. & Docto. & in d. c. 1. quæ ſint regalia. & tradunt omnes, in d. l. imperium. Sic ergo patet, quòd in caſtro infeudato per Principem quilibet, & Princeps, & vaſallus, habet ſuũ merum, & mixtum imperium, in ſuo gradu; vt ſatis dici poſſit, diuiſum imperium cum Ioue Cæſar habet, & Princeps ſui Imperij eſt dominus directus, & vtilis; vaſallus autem ſui imperij vtilis dominus eſt tantum.

His ſic ſtantibus, & præmiſſis, ad reſolutionem quæſtionis propoſitæ veniendo, dicimus, quòd quotieſcunque Princeps exercet aliquem actum, qui ſit de ſuo

maximo imperio mero, vel mixto, tunc vaſallus non habet ſe intromittere, ſed cognitio eius actus, & omne emolumẽtum inde proueniens; & quod naſcitur ab illo actu imperij maximi debet eſſe Principis, & ad eum ſpectare, vel eius fiſcum. Et, reuertendo ad exempla, in quæſtione duo proponuntur, vnum quod eſt meri imperij, & alterum mixti; quotieſcunque ergo Princeps, vti dominus vniuerſalis, facit legem, ſeu edictum generale, per vniuerſam ſuã prouinciam, & ſuper omnes ſubditos, prohibendo aliquid fieri; tunc dicitur exercere maximum merum imperium, cùm illud faciat officio iudicis nobiliſſimo, principaliter ad vtilitatem publicam, iuxta diffinitionem meri imperij; ſimiliter quotieſcunque aliquid ſtatuit circa notarios, concernens eorum officiũ; cùm creare notarios ſit mixti imperij, quia expeditur officio nobiliſſimo, ad vtilitatem priuatam, tunc dicetur exercere maximum imperium mixtum. vnde, ſicut illa lex, ſeu edictum generale, vel actus eſt de maximo imperio, ita eiuſdem qualitatis, & naturæ cenſetur cognitio, & iuriſdictio, quæ ex illo actu producitur; & pœna in lege, ſeu edicto generali, vel alio actu imperij, eiuſdem quoque eſt naturæ; & ſic fructus cenſeri debet maximi imperij; quia omne id, quod reſpicit, vel includit principale, reſpicit, & includit omne id quod dependet ab illo. vulg. l. 1. C. de codicillis. & acceſſorium ſequitur naturam principalis. reg. acceſſorium. de reg. iur. in 6. l. cùm principalis, ff. eo. tit. vbi Doct. notant, præcipuè Cagnol. in primo notabili, poſt Io. And. & alios quos refert, quòd acceſſorium ex principali productum, vel deriuatum, illius efficaciæ, virtutis, & naturæ eſſe debet, cuius eſt principale producens; ſeu deriuans; & connexorum idem eſt iudicium l. 2. ff. de iuriſdic. omn. iud. c. tranſlato. de conſtit. c. prætereà. & ibi glo. de off. delegati, cum ſimilibus. & ad hoc faciunt tradita per Alexand. in d. l. imperium. ſub nume. 16. poſt Bald. & alios, ibi, dum quærit, an carceratio, ſeu coërctio ſit meri imperij, vel mixti. & ait, quòd eſt illius qualitatis, cuius eſt cauſa, ob quã fit dicta carceratio, & ſic iudicabitur meri imperij, quando tẽdit ad animaduertendum in facinoroſos principaliter, vt ibi, in d. l. imperium. erit etiam mixti imperij, vt quando incidenter exercetur in cauſis mixti imperij, prout eſt citare; re ipſa, quia eiuſdem naturæ, inquit, debet eſſe acceſſorium, cuius principale. d. c. acceſſorium, & l. 1. & 2. ff. de pecul. lega. & pro hoc Baldus, ibi, allegat tex. in l. & ſi prætor. ff. de of. eius cui mand. eſt iuriſdic. vbi ſequela regulatur à principali cauſa. ad idem facit, quòd tradunt etiam Doct. in d. l. imperium. de cauſa appellationis, an ſit meri imperij, vel mixti: & cõmuniter concludunt, quòd ſit eius imperij, ſeu iuriſdictionis, cuius eſt cauſa principalis; & ideo ſi prima cauſa erat criminalis, & ſic meri imperij, appellatio etiam cẽſebitur meri imperij, aliàs erit mixti imperij, vel iuriſdictionis, tamquam ſequela cauſę principalis. vt per Iaſonem, in dicta l. imperium. nume. 29. in fin. & ibi etiam Io. Baptiſta à San. Seuer. colu. 21. poſt Rom. & alios; Sic dicendum eſt in caſu noſtro, quòd cauſæ, & earum cognitio, quæ ab edicto generali Principis naſcuntur, cenſeri debent, tãquam ſequela actus principalis, eius qualitatis, & naturæ, nempe maximi imperij meri, cuius eſt ipſa lex, ſeu edictum à quo producuntur, & ideò neceſſariò conſequitur, quòd eius eſſe debeat cognitio, qui habet imperium, & qui, vt ita dicam, fuit cauſa productiua earum cauſarum; & facit etiam, quòd qui eſt Iudex præparantis iudicij, debet quoque eſſe Iudex præparati. l. ordinarij, C. de rei vendit. & per Iaſonem, in l. quoties. C. de iudicijs, & alibi ſępè. conſequitur quoque neceſſariò, vt cùm Princeps ſit dominus, cum vti-

litate

litate ſui meri, & mixti imperij retenti, & reſeruati, ideò pœnæ, & condemnationes, tamquam fructus prouenientes ab illo imperio, reſeruatæ quoque cenſeantur, & ad eum ſpectent, cuius eſt iuriſdictio, & imperium, à quibus proueniunt, & naſcuntur. iuxta Bart. & alios communiter, in l. fin. ff. ſolu. matr. per Bald. in l. prima. colum. 3. C. de fructibus, & lit. expenſis. cum alijs ſimilibus. & ideo iuſtiſſimè in tali lege, ſeu edicto generali, ſolet ſpecificè pœna applicari fiſco, ſeu Cameræ Ducali; ſed quia illa, vti fructus meri imperij, ad ipſum Principem conditorem legis, ſeu edicti, ſpectet. Hinc etiam eſt, quòd Princeps ſoleat, & iure id facere poſſit, conſtituere ſcilicet Conſeruatores ſeu iudices particulares, qui curam habeant ſpecialem edictorum, vt obſeruentur, & contrauentores puniant.

Prætereà non tantùm ratione prædicta dictæ pœnæ Principi, ſeu eius Fiſco vel Cameræ applicantur, ſed etiam alia, nempe ratione offenſæ, quæ fit ipſi Principi contraueniendo ſuæ legi, & edicto, quo caſu pœna videtur appoſita pro vindicta ſeu vltione iniuriæ, & offenſæ, & ideò ipſi Principi offenſo meritò applicatur. vt in capit. 1. §. penult. quæ fuit prima cau. benef. amittendi, ibi, *vt hanc ſaltem habeat ſua iniuria vltionem*. tex. nota. in l. 2. §. emancipatus, ff. de colla. bonor. ibi, *magis enim vindicta quam pecunia habet proſecutionem*: nam, per tranſgreſſionem, ſeu contrauentionem, dicitur contemni maieſtas Principis l. ſi familia, ff. de iuriſdictio. omnium iudicum ibi, *quia & hic contempta maieſtas Prætoris vindicanda eſt*, ita in ſimili, de ſaluaguardia Principis tradit Iacobus Rebuffus, in l. ab his. colu. prima. in fi. verſic. ex præmiſſis patet. C. de nauicularijs. lib. 11. dicens, quòd violator ſaluaguardiæ tenetur Principi, ſeu deputatis ab eo, ad pœnam ſeu emendam, quia delinquendo offendit eum, violando ſaluaguardiam, ergo debet, inquit, habere ſuæ iniuriæ vltionem, vt in dicto cap. primo. §. penult. quæ fuit prima cauſa benef. amitt. contempta enim, inquit, dicitur maieſtas Principis. dicta l. ſi familia. ff. de iuriſdict. omn. iudic. & argum. l. nullum. C. de teſtibus. ibi, *& quicunque aures eius offenderint, non dubitent ſibimet formidandum*. adducitur etiam text. nota. in leg. fina. ff. de litigioſis. vbi, pœna impoſita ei, qui ſacram rem dedicauit, quæ erat litigioſa, applicatur aduerſario, cum quo de dicta re litigabatur; & rationem adducit ibi tex. dum ait, veluti ſolatium habeat pro eo, quòd potentiori aduerſario traditus eſt. per quem text. dicebat notabiliter Imola, in rubr. ff. de publicis iudicijs. colum. ſecunda. in principio, quòd quando pęna imponitur propter delictum, quod concernit offenſam certæ perſonæ, tunc pęna, in dubio, applicatur illi offenſo. & Imolam refert, & ſequitur Angel. Aret. in tracta. de maleficijs. in verbis, dictum Sempronium in tricentum libris condemnamus. num. 10. dicens pariter, q. vbi certa perſona eſt læſa, tunc eius reſpectu pęna cenſetur impoſita, & ideò ſibi applicatur. eundem Imolam ſimpliciter refert Alexan. in l. ſi quis id quod. nu. 20. & 21. ff. de iuriſd. om. iud. & facit quod ibi tradit etiam Ang. in d. l. ſi quis id quód. col. fin. verſ. dic quòd quandoque. vbi ait, quòd quandoque pęna imponitur, propter iniuriam paſſi, & tunc applicatur offenſo, ſeu iniuriam paſſo, & per hoc refert conſuluiſſe, quòd pęnæ, quæ imponuntur à ſtatuto fraudantibus pedagia vel gabellas, pertinent ad fiſcum, quia ipſe fiſcus offenditur, non autem ad emptores earum. prædictis addo Decium, in rubr. extra, de iudicijs. colum. fin. verſic. quartò limita. vbi multa adducit, vt per eum. In caſu itaque iſto, ſi benè conſideremus, cùm per edictum ſeu legem Principis

fiat delictum, quod antea non erat, nulli alius videtur contemni, ſeu offendi ex tranſgreſſione legis, ſeu edicti, niſi ipſe Princeps, qui legem edidit, per quam fecit delictum, quod non erat; ideò iure merito pena per edictum ſuo ærario, vel fiſco applicatur; & licet vaſallo communicet merum, & mixtum imperium, cum pœnis, & mulctis, attamen non cenſetur communicare penas, & mulctas prouenientes ex delictis, & offenſis in Principem factis, ſed in alios: ita notabiliter determinat Oldrad. conſilio 148. incip. factum tale eſt, quidam Comes. quem refert & ſequitur Bald. de Capit. qui cur. vend. in cap. 1. columna penult. verſ. formatur etiam alia quæſtio à Domino Oldrado. ponunt enim caſum Oldrad. & Bald. quòd Comes conceſſit militi in feudum Caſtellaniam, cum quarta parte omnium obuentionum, quandocunque, & qualitercunque obuenientium; quidam ſubditi offenderunt Comitem, propter quod, in penam, amiſerunt bona, quæritur an Caſtellanus, inueſtitus de Caſtellania cum quarta obuentionum, debeat habere quartã partem in bonis amiſſis. arguunt ad vtramque partem; & conſiderant præcipuè, pro Caſtellano infeudato, verba generalia infeudationis, ſeu vniuerſalia, videlicet obuentionum quandocunque, & qualitercunque obuenientium. & nihilominus determinant, quòd pena, hoc caſu, ſpectet in ſolidum Comiti; eo quia talis pena eſt debita ipſi in vindictam propriæ offenſæ, ſeu iniuriæ, & ideò illam non cenſetur alteri communicaſſe. per l. 2. §. emancipatus, ff. de colla. bonor. l. at vbl. ff. de petitio. hæredita. & l. bouem. §. ſi quis ſeruum. ff. de ædilitio edicto. ipſi enim Comiti eſt debita pena, vt habeat, inquiunt, ſaltem offenſæ ſeu iniuriæ ſuæ vltionem. d. §. penult. quæ fuerit prima cauſa benef. amitt. ſed ſi pœnæ deſcenderent ex delictis, non in ipſum Comitem commiſſis, ſed in alios, tales penæ benè venirent communicandæ in ribus ibi adductis. Et reſpondent non obſtare verba generalia, ſeu vniuerſalia conceſſionis, ſeu infeudationis; quia verba generalia ciuiliter ſunt intelligenda, & prout ratio dictat, & non abuſiuè. vt ff. de ſeruitu. l. ſicut. & ff. de pignori. l. obligatione generali. & ff. mandati. l. creditor. §. Lucius. Prædictos Oldrad. & Bald. ſequitur, ibi, Præpoſ. in dicto cap. 1. de Cap. qui cur. vend. column. 8. circa finem. verſic. formatur etiã quæſtio. & Afflict. ſub num. 12. Iacobi. à S. Georg. in inueſtitura. in verbo, de Caſtro. col. 2. verſ. pone Princeps conceſſit. eoſdem refert quoque, & ſequitur Natta, conſil. 580. nume. 7. Roland. à Val. conſ. 78. num. 26. lib. 2. & conſ. 73. num. 13. & 14. lib. 4.

Ex prædictis ergo patet, arguendo ab enumeratione partium, iuxta l. patre furioſo, ff. de ijs, qui ſunt ſui, vel alien. iur. & §. omnium. Inſtit. de act. quòd pena edicti Principis non ſpectat vaſallo; quia aut vult, & prætendit eam ſibi ſpectare tamquam fructum ſuæ iuriſdictionis, ſeu meri imperij, & ex hoc capite non poteſt, quia non ex ſua, ſed Principis iuriſdictione, & imperio naſcitur; & multò minus poteſt dici fructus ſuæ iuriſdictionis, cùm ante edictum nulla conſiderabitur iuriſdictio, quia illud, quod fit delictum per edictum, anteà licebat, & ipſum edictum eſt productiuum, vt ita dicam, delicti, & conſequenter imperij, & iuriſdictionis. Aut verò prætendit vaſallus penam ad ſe ſpectare ratione offenſæ, ſeu iniuriæ; & ex hoc capite etiam non poteſt; quia ipſe non offenditur, ſed Princeps, vt ſupra diximus. Ideò concludimus huiuſmodi penas edictorum ſpectare ad Principem conditorem legis, tam ratione imperij, & iuriſdictionis ſupremæ, quàm ratione offenſæ, & iniuriæ.

Similiter, quod attinet ad ſecundum quæſitum, circa notarios, idem dicimus, quòd

quòd cognitio, & pœna debeat eſſe Principis, & propterea etiam iuſtiſſimè, in Decretis Ducalibus, dicta pœna applicatur fiſco Ducali, præcipuè quia prouenit ab actu, ſeu lege generali facta circa id quod eſt maximi imperij, prout creatio notariorum; & licet aliqua ſit controuerſia inter Doctores in dicta l. imperium, an creare tabelliones ſit meri imperij, vel mixti, & Iaſ. velit quòd cenſeatur potiùs meri imperij, quàm mixti, vt per eum ibi, nu. 14. & nu. 27. verſic. ſed cogita: eo quia, ſecundum ipſum, expediatur officio iudicis nobiliſſimo, & principaliter ad vtilitatem publicam, attamen nonnulli ſentiunt eſſe potiùs mixti imperij, eo quia videatur expediri principaliter ad vtilitatem priuatam; ſed, vtcunq; ſit, non opus eſt circa hoc inſiſtere; quia, ſiue ſit meri imperij, ſiue mixti, hoc eſt certum, quòd eſt de maximo imperio, & de reſeruatis ipſi Principi, quia ad eum ſolùm ſpectat creare Notarios, vt communiter concludunt Doctores in d. l. imperium, poſt Innoc. in cap. cum P. tabellio. extra de fide inſtrum. Vnde ſicut nulli alij competit ius, ſeu facultas huiuſmodi, ita vt nullus poteſt ſtatuere circa concernentia eorum officium, niſi ſolus Princeps; qui propterea, ſi circa eos ſtatuat, & pœnam imponat, non eſt dubium talem legem, ac cognitionem, ſeu iuriſdictionem eſſe quoque eiuſdem naturæ, & qualitatis, hoc eſt maximi imperij, ex allegatis ſupra, in primo cap. & conſequenter ad eum ſpectare cognitionem, & pœnã, ad quem ſpectat actus principalis.

Neque ad hoc obſtat, quod dicitur, videlicet, quòd ſi vera eſſet dicta concluſio, ſequeretur, quòd ſi Notarius falſum inſtrumentum fabricaret in Terra vaſalli, non poſſet vaſallus ſuum ſubditum punire, quod tamen eſt falſum; quia & vaſallus inueſtitus de mero, & mixto imperio, & quilibet magiſtratus talem Notarium punire, & deſtituere poteſt ab officio. l. iubemus, §. his tabellionibus, in fi. C. de ſacroſan. eccleſ. & Auth. de armis, in fi. ita, in fortiori caſu, per hanc rationem, arguebat Bart. in l. nec ei. §. eorum, col. fin. verſ. quæro quis poſſit iſtos tabelliones creare. ff. de adopt. vbi quærit; quis poſſit creare tabelliones, & arguit ad partes; dicens, videtur quòd ſolus Princeps, vt l. actuarios, C. de num. & actuar. lib. 12. In contrarium facit, inquit, quòd immò etiam magiſtratus, vt in corpore, de defenſor. ciuita. §. ex prouinciali, & eius eſt creatio, cuius eſt remotio, ſed magiſtratus poteſt remouere, propter eorum delictum, vt d. Auth. de armis, in fi. ergo, & creare. & ita Bart. reſidet in hac opinione, & ait hoc tenuiſſe Guliel. de Cun. ſimili arg. vtitur etiam Oldrad. eandem opinionem tenens, conſ. 75. incip. Quis poſſit creare Notarium. vbi, poſt Hoſt. quem refert, arguit, quòd ſi notarij delinquunt, iudices ordinarij poſſunt eos punire & deſtituere, d. l. iubemus, §. ijs tabellionibus; & tamen, ſi non poſſet, inquit, eos inſtituere, nec etiam poſſet punire, & deſtituere; ſic ergo, & multò fortiùs videtur dicendũ in caſu noſtro, quòd poſſit vaſallus, ſeu eius iudex cognoſcere, & punire.

Sed prædicta noſtræ concluſioni non obſtant; nam vaſallus, ſicut non habet ius creandi notarios, ita nec cognoſcendi, in caſu de quo agitur, & puniendi eos, in quæſtione propoſita; quòd non habeat talem poteſtatem, ſeu facultatem, hoc eſt certum, quicquid voluerit Bart. necnon Oldra. in contrarium allegati, quorum opinio reprobatur communiter, & communis opinio eſt cum Inno. in dicto cap. cùm P. tabellio. de fide inſtrum. & affirmant omnes Docto. in dicta l. imperium. ad ſolum Principem ſpectare creare tabelliones, & illud eſſe de maximo imperio, & comprehendi ſub primo gradu imperij. ita enim tenet ibi Bald. col. 3. verſic. 9. quia ſolus Princeps poteſt creare tabelliones. Ro-

man.

Digitized by Google

man. col. 2. verſic. item reſeruauit ſibi authoritatem. Iaſ. d. num. 14. & nu. 27. verſ. in ſecundo verò gradu. idem Bald. in l. reſcripta, col. 3. verſ. item tranſcendit leges. C. de precib. Imper. offer. & in l. 1. C. de iure aureo. annulo. & alibi ſæpè, & per Iacobin. à Sancto Georgio in verbo, Princeps, col. 3. verſic. tertia ſpecialitas eſt, quia creat tabelliones: hoc etiam firmant Doctor. communiter, in cap. 1. quæ ſint regalia. vbi, inter alios, Afflict. num. 22. in princ. & infiniti, pro hac opinione, poſſent adduci, ſed non expedit, quia hæc eſt vera & communis; quæ comprobatur ex communi obſeruantia; quia in omnibus regnis, & prouincijs ſeruatur, quòd hoc ius ſolius Principis ſit, prout & ita in Sereniſſimis Sabaudiæ Ducibus fuit ſemper ſeruatum, vt hoc ius ſibi præcipuum ſeruauerint, & nulli vnquam communicauerint; immò aliquorum eſt opinio, quòd hoc ius ſit ſolius Papæ, vel Imperatoris, aut alterius Principis non recognoſcentis ſuperiorem, prout ſentire videtur Innoc. in dicto cap. cùm P. tabellio. dum loquitur de Papa, & Imperatore; ſecùs autem ſit in dominis recognoſcentibus ſuperiorem; & hinc fortaſſe eſt, quòd Sereniſſimus Dux noſter in creandis Notarijs ait, ſe hoc facere authoritate Imperiali, qua fungitur, & propria, ita enim, ex ſtylo, in litteris creationis notariorum ſcribi ſolet. Nec valet argumentatio, quam faciunt Bart. & Oldra. quòd eius ſit creatio, cuius eſt remotio, &, ſi non poſſent inferiores inſtituere, nec etiam poſſent punire de falſo, & deſtituere: quia reſpondetur, quòd punire notarium de falſo, & conſequenter deſtituere, hoc non facit inferior, ex ſua poteſtate inſtituendi ſeu creandi, ſed legis authoritate, imponentis talem pœnam; & vaſallus ideò poteſt cognoſcere de crimine falſi, & conſequenter notarium officio tabellionis priuare; quia hoc eſt de mero imperio legis in eum translato, de quo in d. l. imperium. ſecus autem in crimine ſeu delicto cōmiſſo per contrauentionē legis ipſius Principis, quia tunc cognitio talis delicti cenſetur eſſe de maximo imperio, ſicut eſt ipſe actus principalis; & conſequenter Princeps, cuius eſt imperium, debet eſſe cognitor, & pœna ad eum ſpectare, tanquam fructus ſuæ ſupremæ iuriſdictionis, ſeu imperij maximi, vt diximus ſupra; nam cùm lex ſit circa ea, quę ſunt de regalibus ſeu reſeruatis Principi, & quæ ſunt de ſupremo eius imperio, tūc etiam ipſa lex cenſetur eſſe eiuſdē qualitatis, ex his, quæ tradunt præfati Doctores in d. l. imperium. dum quærunt, an ſtatuere, ſeu legem condere ſit meri imperij, an mixti; & concludunt, ꝙ ſi fiat lex ſuper eo, quòd eſt meri imperij, erit merij imperij, ſi verò ſuper eo, qđ eſt mixti imperij, erit pariter mixti imperij. Et, in caſu noſtro, ſi legantur Decreta, primo loco, ſub rubr. de Notarijs, & tabellionibus, & eorum officio. Princeps condit legem, ſeu decretum reſpiciens creationem tabellionum, nempe, quæ ſeruari debeant in eorum creationibus, tam ratione perſonarum, quàm ſcientiæ, & peritiæ; deinde ſequuntur Decreta alia, circa exercitium officij tabellionatus, poſtquàm ad illud fuerint promoti, quæ, & qualia facere, & obſeruare debeant; hæc enim omnia cenſentur, & ſunt proculdubio de maximo imperio Principis, cùm dependeant, & naſcantur ab actu principali creationis, & ſic conſecutiuè veniant ad diſpoſita in primo capite, ideò nimirùm ſi pœna, in eiſdem Decretis, applicatur indiſtinctè fiſco Ducali, quia cenſetur fructus iuriſdictionis, & imperij, ſpectantis, & reſeruati ipſi Principi condenti legem, ex adductis ſupra, in primo articulo. & ſine difficultate eſt Principis cognitio, & pœna; eo quia notarius in actu creationis, pręſtat iuramentum, promittendo fideliter exercere officium tabellionis, ad quod promouetur, & facere, & obſer-

obſeruare quæcúque contenta in dictis Decretis, ſub pœna in eis deſcripta, cuius promiſſionis, & iuramenti virtute, cenſetur ſtipulata pęna ipſi Principi, in caſu contrauentionis, ſeu inobſeruantiæ, tanquam ipſe in ea parte videatur offenſus, vel cenſeatur debita pęna, non tam ex delicto, quàm ex conuentione: quo fit, vt concludamus, pariter hoc caſu, pœnam non ſpectare ad vaſallum, ſed ad Principem.

Ex prædictis reſultat etiã reſolutio eius, ſuper quo, vt audio, dubitauit aliquando Excellentiſſimus Senatus. An ſcilicet pœna, quæ à Decreto Ducali imponitur, contra temerè appellãtes, debeat applicari vaſallis, quantùm ad eorum ſubditos temerè appellantes, an verò Principi: hoc enim apud me caret dubitatione, quin debeat applicari Principi; eo quia, cùm appellationes ſint de maximo imperio, & ſuprema iuriſdictione, vt tradunt omnes, in d.l. imperium, & per Bal. in auth. quas actiones, nu. 14. verſic. tu dic, quòd ſuprema iuriſdictio. C. de ſacroſanc. eccleſ. vbi ait, non poſſe præſcribi, quòd non appelletur ad Principem, quia hoc pertinet ad ſupremam iuriſdictionem. refert, & ſequitur Iaſ. conſ. 123. quòd cauſæ appellationum, lib. 1. ideò, huiuſmodi pęna dicitur prouenire ex ipſa ſuprema iuriſdictione, & conſequenter debet ſpectare ad Principem, nõ ad vaſallum; non enim video, vt hoc addam, cur non etiam merum, & mixtum imperiũ primi gradus, quod maximum dicitur, debeat habere ſuos fructus, & emolumenta, ſicut merum, & mixtum imperium ſecundi gradus, quod magnum appellatur, & cõſequenter non debeant tales fructus applicari Principi, penes quem eſt dictum imperium maximum, ſicut fructus, & emolumenta magni imperij, ſeu ſecũdi gradus applicantur vaſallo.

Supereſt, vt fundamenta Boſſij, & aliorum tenentium contrariam ſententiam refellamus; & ex contrariorum remotione magis confirmabitur noſtra opinio, vt nihil dubitationis relinquatur: hoc vnum tamen primo loco præmittere, ſeu præmonere volo de Ægidio Boſſio Mediolanẽſe, qui contrariæ opinionis fuit auctor (nam illa fuit originalis eius opinio, quem poſtmodũ alij ſequuti ſunt,) quòd illi non eſt in hac parte credẽdum, quia ad proprium intereſſe opinionem ſuam adinuenit, eo quia erat vaſallus Ducis Mediolani, pro valle Bodiæ, & loco Bulgari Ducatus Mediolani, vt ipſemet atteſtatur, in tit. de foro compet. num. 14. verſ. vide ſuper ſupplicatione hominum Bulgari. & num. 36. in fi. verſi. & ſeruatum fuit, in quibus locis dicit ſe Dominũ dictorum locorum; Similiter & Natta, qui eum ſequutus eſt, erat vaſallus pro loco Tunghi dominij Montisferrati, & conſuluit in cauſa propria, & ſuorum condominorum, in conſilio ex aduerſo allegato, vt patet ibi, col. 3. circa medium, vbi ait, quòd Henricus Natta auus ſuus fuit inueſtitus de dicto loco cum omnibus confiſcationibus, pœnis, mulctis ordinarijs, &c. vnde non eſt eis credendum, argum. l. nullus idoneus, ff. de teſtib. cum ſimilibus. ſed, hoc prætermiſſo, quòd eorum opinio non ſit tenenda, ex ſubſequentibus reſponſionibus ad eorum rationes, & argumenta apparebit.

Non obſtat itaque, quod ait Boſſius, quòd ex quo, infeudata eſt iuriſdictio, merũ, & mixtum imperium, à quo naſcuntur in illo loco, pœnæ, quæ ſunt fructus iuriſdictionis, meri, & mixti imperij, iuxta not. in l. fin. ff. ſoluto matr. iudex feudatarij poteſt cognoſcere de cõtrauentione edicti, ſeu proclamatis, & ſibi applicare pœnam. Ad hoc enim reſpondetur, quòd in vaſallum infeudatũ non cenſetur trãſlata omnis iuriſdictio, nec omne merum, & mixtum imperium, ſed illud imperium tantùm, & illa iuriſdictio, quam ſolet Princeps concedere, de quibus loquitur l. imperium, de iu-

de iuriſd. omnium iud. quæ eſt ordinaria iuriſdictio legis, quã habet, & exercet quilibet magiſtratus; &, ratione illius iuriſdictionis, pœnæ, quæ naſcuntur in loco, tanquam fructus iuriſdictionis, in eum translatæ, benè ad vaſallum ſpectant; ſed cognitio, ac pęnæ, quæ naſcuntur, & proueniunt, non ex iuriſdictione legis ordinaria iuris communis, ſed ex lege generali, ſeu edicto Principis, qui eſt lex animata, & ſic ab actu meri imperij maximi ipſius Principis, de quo non loquitur d. l. imperiũ illę, inquam, non ſpectant ad vaſallum, quia non ſunt, nec proueniunt ex iuriſdictione, & imperio mero, vel mixto, translato in eũ, ſed ex retento per Principem; & quemadmodum Princeps, & Dominus directus non poteſt ſe intromittere de cauſis, quæ ſunt iuriſdictionis, & imperij ipſius vaſalli, de quibus fuit inueſtitus, iuxta Bald. in l. 1. quæſtio. 34. ff. de rerum diuiſ. & Curt. conſil. 2. per totum. ita è conuerſo, arguendo ab oppoſitis, iuxta l. fin. §. fin. ff. de leg. 3. non debet vaſallus ſe immiſcere, aut intromittere in iuriſdictione, mero, & mixto imperio, retento per Principem, neque de ijs, quæ ab illo naſcuntur, & proueniunt, nempe circa ius, & poteſtatem cognoſcendi de illa lege, & edicto generali, & iuſdicendi circa eam in cauſis ex ea naſcentibus; maximè cũ, ex forma ipſius legis, ſeu edicti generalis, Princeps declarat pœnam in ea contentam ſuo fiſco applicandam eſſe, & meritò tãquam fructus ſuæ iuriſdictionis, & imperij, iuxta nota. in dicta l. diu. ff. ſoluto matrim. ſi quidem huiuſmodi iuriſdictio, & pœna, vt diximus ſupra, ſunt eiuſdem naturæ, & acceſſoriè veniunt ad actum imperij, & iuriſdictionis, ſpectantis ad ipſum Principẽ, cùm ab eis dependeant, immò ſint illis connexa, aliàs, ſi eſſent alterius gradus imperij, & iuriſdictionis, quàm eius, cuius eſt lex, ſeu edictum, à quo proueniunt, ſequeretur, quòd vna, & eadem res diuerſo iure cenſeretur, contra l. eum, qui ædes, ff. de vſucap. & acceſſoriũ non eſſet eiuſdem naturæ, qualitatis, virtutis, & efficaciæ, cuius eſt principale, ſed diuerſæ, contra regu. acceſſorium, de reg. iur. in 6. & connexorum non idem eſſet iudicium, contra iura ſupra adducta: ſi enim ipſe vaſallus cognoſceret de illo edicto generali, & pœnam inibi appoſitam cõſequeretur, cenſeretur particeps eorum, quæ ſunt de maximo imperio, & haberet fructus iuriſdictionis ſupremæ, quæ non eſt in ſua inueſtitura comprehenſa, nec cõtinetur ſub mero, mixto imperio illi conceſſo, & de quo fuit inueſtitus, ſed eſt reſeruata. Quo fit, vt non valeat argumentum Boſſij, nec cõſequentia eius, dum dicitur, in vaſallo eſt iuriſdictio, merum, & mixtum imperium, à quo naſcuntur pœnæ, quæ ſunt fructus iuriſdictionis, meri, & mixti imperij, ergo ad eum ſpectant pœnæ edictorũ, ſeu proclamatum Principis: quia huiuſmodi pęnæ edictorum nõ naſcuntur ab illo mero, & mixto imperio trãſlato in vaſallum, ſed ab imperio retento per Principem; & ideò, ſicut ad vaſallum non ſpectat principale, ita nec acceſſorium. Sequitur, ex prædictis, non procedere etiam, quòd ait idẽ Boſſius, nempe, quod quicquid plantatur, & ſeritur cedit ſolo, & ideò illud quod Princeps ſeminat, in mero imperio, & iuriſdictione alterius, eſt domini iuriſdictionis. Nam negatur quòd Princeps, hoc caſu, dicatur ſeminare, ſeu plantare in ſolo alieno, & ſic in iuriſdictione, ſeu imperio alterius domini; quandoquidem Princeps, in terra vaſalli, habet altum dominium, ſeu ſupremum imperium, & iuriſdictionem; cuius ratione ſubditi vaſalli ſunt ſubditi ipſius Principis ſuperioris domini, & ipſi obedire tenentur, vt probauimus ſupra, in euidentialib. quo ſtante dicitur ſeminare, ſeu plantare in ſuo ſolo, ſeu territorio, & in ſuo imperio, & iuriſdictione; ex quo ſequitur, quòd cùm illud quod ipſe

ipſe Princeps ſeminat, ſeu plantat, & ſolum ſeu territorium, in quo ſeritur, & plantatur, ſint ſua, benè æquum eſt, vt quod, ibi, naſcitur ſit etiam ipſius Principis ſeminantis, ſeu plantantis; retorquetur ergo argumentum, quòd cùm huiuſmodi pęnæ ſint fructus, ſeu cõmoda iuriſdictionis retentæ, & dicantur naſci in territorio ipſius Principis, vaſſallus eos percipere non debet, quia ſi perciperet, vel aliquo modo ſe intromitteret, diceretur immittere falcē in meſſem alienā, quod eſſe non debet, vt in c.ſcriptū. 6.q.3. ibi, *per alienam meſſem tranſiens falcem mittere non debes*, & ibi, *falcem mittere non potes, nec debes in ſegetem, quæ alteri videtur eſſe commiſſa*, & in cap. venerabilem, in princ. de electio. & notat. in l.ſicuti. §. Ariſto. ff. ſi ſeruitus vindicetur. & vaſallus, fructus alienos colligendo, locupletaretur cum aliena iactura, cõtra l.nam hoc natura. ff. de condic. indeb. l.iure naturæ, ff. de reg. iur. & c.locupletari. extrà eod. tit. in 6. immò vſurparet iura Principis, quod non eſſet tollerandum.

Non etiam obſtat, dum ait Boſſius, Principem per edictum, ſeu proclama, facere delictum, quod anteà licebat; idem poſſe quoque vaſallum, & ideò, ſi Princeps non curaret, ꝙ ſua noua lex, non publicaretur, vel non haberet locum in terra feudatarij, poſſet ipſe feudatarius idem ſtatuere ibidem, etiam quòd dictum ſtatutum eſſet contra ius, iuxta notata per Iaſ. in l.omnes populi, in ſi. ff. de iuſt. & iure. Quia reſpondetur, illam vanam conſiderationem, ſcilicet, an Princeps faciat per ſuum generale proclama de non delicto delictum, eſſe non tam ridendam, quàm emēdandam, vt vtar verbis Imperatoris, in l.fin. C. de legib. ſiquidem, in condenda lege generali per Principem, non conſideratur quid ſit illud, ſuper quo Princeps ſtatuit, & legem condit, ſed conſideratur, quòd actū facit, qui eſt de ſummo imperio, & officio iudicis nobiliſſimo, principaliter ad vtilitatē publicam; hoc eſt quòd conſideratur, non autem, ꝙ per legem, ſeu edictū faciat delictum, quod antea non erat, & pro hoc faciunt, quæ in propoſito tradunt Doct. in d.l.imperium, ff. de iuriſd. omn. iudi. & præcipuè Repetentes Luſitani, ibi, col.43. verſic. ſed contra iſtam concluſionē. vbi aiunt, ſaluando Bartolū, qui ponit exemplum maximi meri imperij, ſcilicet condere legem generalem, quod ſit de mero imperio maximo; nam, dato quòd fieret lex ſuper re minima, adhuc tamen dicitur eſſe meri imperij maximi, quia, vt aiunt ijdem repetentes, Bart. ibi, loquitur de poteſtate condendi legem generalem ſecundum occurrentiam, ſeu contingentiam factorum, quæ ſemper videtur eſſe meri imperij, & ſic illa poteſtas condendi legem eſt in conſideratione, non autem res ſuper qua ſit lex, ſecundum gloſ. notab. in l.1. §. huius ſtudij, in glo.1. ff. de iuſt. & iure. ſic ergo patet, ꝙ non eſt conſiderandum, ꝙ per legem, ſeu edictum fiat de non delicto delictum, & qualiter Princeps ſtatuat, ſed quòd ſuum merum imperium ſupremum exerceat, condendo ſcilicet legem, ſeu edictum generale.

Et verum eſt etiam, quod ait Boſſ. nempe ꝙ ſi Princeps non curaret, vel nollet, ꝙ ſua noua lex publicaretur, vel haberet locū in terra feudatarij, poſſet ipſe feudatarius idem ſtatuere; Nam reſpondetur, ꝙ quando Princeps, tanquam dominus vniuerſalis, generale edictum, ſeu legē facit, illa afficit omnes vniuerſaliter, & ea intentione eam condit, vt in vniuerſo dominio, & locis omnib. tam mediatis, quàm immediatis locum habeat, & vniuerſos ſubditos comprehendat, & liget etiā mediatos, qui hoc caſu dicuntur ſubditi Principis; vnde dicendum non eſt, ꝙ Princeps nollit, ſeu non curet ꝙ lex noua habeat locum in terra feudatarij, nec quòd ibi publicet; quia ſatis eſt, quòd tanquam vniuerſalis dominus generalis ſtatuat; neque requiritur

nitur ſpecialis publicatio in terris feudatariorum, ſed ſufficit, quòd edicti, ſeu legis promulgatio fiat in principalioribus locis prouinciæ, vt omnes liget, vt in Auth. vt factæ nouæ conſtit. in princ. ibi, *per metropolitanum palam facta*, & in §. ne igitur, ibi, *palam facta eſt in vnaquaque metropoli, aut alia ciuitate*. & in §. prouinciarum verò, ibi, *per omnes ciuitates, ſub vnaquaque prouincia conſtitutas*; quo fit, vt non ſit neceſſe, quod publicetur in terris, ſeu locis feudatariorum.

Nimis autem ſibi, & alijs vaſallis tribuit Boſſ. (pace ſua dictum ſit) dum feudatarium Principi, in hoc, parificat, vt poſſit ipſe feudatarius in terra ſua idē ſtatuere, etiam ꝙ ſtatutum, ſeu edictum eſſet contra ius; quoniā, licet vaſalli, & præcipuè Marchiones, & Comites, perpetuò inueſtiti, poſſint ſtatuere in eorum terris, iuxta Bart. in l. omnes populi, in 4. q. primæ q. princ. ff. de iuſt. & iure, vbi ait, ꝙ ſicut Princeps, qui eſt dominus totius facit legem vniuerſalem, ita iſti, inquit, qui ſunt domini in parte, faciūt legem, & ſtatuta in parte, & idem Bart. Ang. & alij in l. 1. ff. quod quiſque iur. & per Alex. conſ. 124. col. 2. verſ. quantùm autē ad proclamata, lib. 4. Attamen verum illud eſt, ꝙ poſſunt, ſcilicet ſecundùm, vel præter ius. ita Alex. in d. l. 1. nu. 8. ff. quod quiſque iur. dicens Doct. ita cōmuniter intelligere, & ibi Rom. ſub nu. 4. verſ. quidam ſunt medij magiſtratus, allegat text. in l. ſi hominem, ff. manda. & probatur melius per tex. in l. formā, aliàs normam, C. de off. præfec. præt. vbi dicit tex. ꝙ præfectus prætorio poteſt condere legem etiā generalem, *minimè tamen legibus, & conſtitutionibus contrariam*, (inquit ibi tex.) ꝙ ſi id non poteſt Præfectus prætorio, qui eſt de ſūmis magiſtratibus, & dicitur illuſtris, vt tradūt omnes in l. 1. ff. de off. eius cui manda. eſt iuriſd. multò minus id poterunt vaſalli, etiāſi ſint Marchiones, vel Comites, quorū poteſtas, & auctoritas eſt lōgè minor quàm Præfecti prætorio; lex enim ſuperioris per inferiorē tolli non poteſt, vt dicit tex. in clem. ne Romani, de elect. vbi gl. in verbo, inferiorem, quæ concordan. allegat. & ait, hoc maximè verum eſſe, cùm ille inferior ab illo ſuperiore recipit poteſtatem, & ibi Doct. notant. & quòd tales non poſſint contra ius ſtatuere, tenet Imo. conſil. 54. incip. In caſu præmiſſo. col. 1. vbi loquitur de Vicario perpetuo in ciuitate Imolæ, ꝙ talis non poſſit ſtatuere cōtra ius, allegat d. l. formā. & tex. in c. 1. in fi. de off. Archipresb. ibi, *nec aliquid contra eius decretum ordinare præſumant*, vbi Io. Andr. & alij notant. & in terminis etiam Soc. conſ. 272. col. 3. verſ. tertiò principaliter, lib. 2. poſt Inno. Ioan. And. Paul. de Caſt. & Feder. de Senis, in locis ibi relatis, & licet Socin. iun. eius nepos videatur tenere contra patruum ſuum, in conſ. 76. nu. 27. lib. 5. attamen loquitur de Comite inueſtito cum regalijs, & habente iura imperij, ſed in alijs, ſimpliciter inueſtitis de mero, & mixto imperio, ſecùs eſt; & tales etiam vti non poſſunt clauſula, non obſtantibus legibus, quia non poſſunt derogare iuri, quia huiuſmodi clauſula, nullus alius, excepto ſummo Principe, vti poteſt, vt tradunt omnes Doct. in l. nemo poteſt. ff. de leg. 1. præcipuè Alex. in primo notab. poſt Ange. Bald. & alios ibi relatos. & Iaſ. qui plures etiam refert. col. 2. in 2. lectura; ſicut nec etiam poteſt vaſallus, nec vllus alius inferior reſcribere cum clauſula, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſola facti veritate inſpecta, vt per præfatos Doct. in d. l. nemo poteſt. & eſt gl. reputata ſingularis, in c. fin. de hæret. in 6. & multos alios concordantes adducit Iaſ. vbi ſupra, inter alios refert in ſpecie conſuluiſſe Abbatem conſ. 61. incip. In cauſa, & quæſtione, quæ ad præſens vertitur, inter communitatem. col. pen. lib. 1. ꝙ Domini de Malateſtis, Domini de Arimino, non poſſunt cōmittere cauſam

cogno-

Digitized by Google

cognoſcendam ſummariè, ſimpliciter, & de plano, eo quia recognoſcunt ſuperiorem. & latè tradit Natta in c. ſæpè, de verbo.ſignific. col.68. ſuper gloſ. in verbo, mandamus. & in terminis, de feudatarijs, ſeu vaſallis, quòd non poſſint reſcribere, & delegare cauſas, cum tali clauſula, procedas ſummariè, ſimpliciter,& de plano,&c.firmat ipſe Boſſius, in titu.de regalijs,num.30.vbi ait, quòd Senatus Mediolanenſis non patitur, quòd feudatarij illius dominij in reſcriptis ponant clauſulas, appellatione remota, vel quòd procedatur ſummariè,ſimpliciter, & de plano, ſed ſolũ vult, quòd eorum litteræ ſint ſecundũ iuſtitiam; & qui ab ea vult recedere, recurrat,inquit,ad Senatum, vel ad Principem. & idem Boſſius,in titu. de Principe,ſub nu.377.verſ.& quod dicitur.& nu.287.in fi. ait,ꝙ Senatus,quoties intelligit talia fieri à feudatarijs, excandeſcit,& in eos animaduertit; ꝙ,ſi non patitur Senatus feudatarios reſcribere cũ tali clauſula, & in tales animaduertit,vtẽtes ſimili clauſula,quomodo pateretur, ꝙ feudatarij proclamata, ſeu ſtatuta faciant contra ius in eorũ terris? certè multò magis in talia facientes excandeſcere, & animaduertere deberet; cũ maius videatur ſtatuere contra ius, quàm cũ prædicta clauſula reſcribere, aut ſaltẽ hęc ſunt paris potentiæ; quòd autem vaſalli hoc nõ poſſint, adduco rationem; nam certũ eſt,quòd legem,ſeu ſtatutum condere,& etiã reſcribere contra ius,eſt de ſummo imperio,vt tradunt omnes,in d.l.imperium. & illud ſoli Principi competit, & non alij, l.non ambigitur, ff.de legib. & illi ſemper cenſetur ſummum imperiũ reſeruatũ, vt tradunt omnes in d.l.imperium. vnde in generali cõceſſione iuriſdictionis, meri, & mixti imperij nõ veniunt ea, quæ ſunt de ſummo imperio, & de reſeruatis Principi, vt in c. quod tranſlationẽ,de off.leg. ibi, *ad ea tamen ſine ſpeciali mandato noſtro non debuiſti manum extendere, quæ, in ſignum priuilegij ſingularis, ſunt tantum Summo Pontifici reſeruata.* vbi omnes Doct. notant. ideò veriſimile non eſt, quòd Princeps inueſtiendo generaliter vaſallũ de mero, mixto imperio, & omnimoda iuriſdictione,voluerit, nec ſenſerit, quòd vaſallus inueſtitus manum apponeret ad ea, quæ ſibi ſunt ſpecialiter reſeruata. quo fit, vt concludamus, vaſallum nullo modo poſſe,etiam ex cauſa,ſtatuere, ſeu proclamata facere contra ius, ſed ſi vult hoc facere, debet ad ſuperiorem recurrere.

Sed dato, non tamen admiſſo, quòd ex cauſa vaſallus poſſet edictum, ſeu proclama prohibitoriũ facere in terra ſua, puta ne extrahantur blada tempore penuriæ,vt exemplificant Batt. & Ang. in locis prægallegatis,& ſic facere etiã ipſe de non delicto delictũ, non tamen propterea ſequitur, ꝙ ſi Princeps generaliter ſtatuat, ſeu edictũ prohibitorium emittat, debeat ipſe vaſallus conſequi pœnas edicti Principis,ſicuti conſequeretur,ſi idẽ ipſe proclama,ſeu edictũ faceret;nec etiã poſſit ipſe idem ſtatuere, & facere,quod Princeps ſtatuit;quia diuerſimodè conſiderantur facultas condendi legem in Principe, & in inferiore,puta Comite,vel Marchione,qui ipſi Principi ſubeſt, quia Princeps generalem legẽ emittit, & prouidet, tanquam vniuerſalis dominus, & ſuperior,& maiorem habens iuriſdictionem, & ille habitus, ſeu facultas condendi legem generalẽ,prout eſt in Principe,eſt de ſummo imperio, vt diximus ſupra, & tradunt omnes, in d.l.imperiũ. quod non eſt in vaſallo,aut alio inferiore;quia ipſe nõ poteſt condere legem generalem, ſed particularẽ, ideò non poteſt dici de maximo imperio,prout eſt in Principe. ita tradunt Doct.in d.l. imperium. dum aiunt,quòd licet,etiam Præfectus prætorio poſſit condere legem generalẽ, vt in d.l.formam. & etiam Senatus, vt in l. non ambigitur, ff. de legib. attamen

S 2 non

non eſt par poteſtas legis condẽdę Principis, & Præfecti prætorio; quia Præfectus prætorio nõ poteſt condere legem alteri legi contrariam, dicta l. formam. Princeps autem ſic. ita ait Lancelotus. Decius, in dicta l. imperium, col. 4. & ibi etiam repetentes Luſitani, col. 43. verſic. ſecundò principaliter. vbi, poſt Raphaelem Fulgoſium, & alios, aiunt, quòd dum Barto. ponit tres perſonas, quæ poſſunt cõdere legem generalem, quæ ſunt Princeps, Præfectus prętorio, & Senatus, dictum Bartoli, aiunt, debet reſtringi, & declarari, ſcilicet, vt Præfectus prætorio poſſit facere legem generalem, ſcilicet ratione patriæ, & iuriſdictionis cui præeſt, & ideo Bart. meliùs poſuiſſet iſtud exemplũ, inquiunt, de Præfecto prætorio, in ſequenti gradu meri imperij, eo maximè, quia alia eſt poteſtas legis condendæ in Principe, alia in Præfecto prętorio. Nam Princeps poteſt facere legem generalem, etiam contrariam alteri legi; ſed non Præfectus prætorio; & ſic apertè volũt præfati Doct. q condere legem generalem, in ſolo Principe, dicitur, & eſt de maximo imperio; in alijs autẽ non erit de illo gradu imperij, ſed de ſecundo. prout ita nominatim tradit Iacobin. à Sancto Georg. in ſua inueſtitura, in verbo, cum mero, & mixto imperio, col. 2. verſic. an autem nobilis inueſtitus. vbi ait, quòd condere legem generalem eſt de mero imperio ſupremo, ſed condere legem particularem, eſt magis iuriſdictionis ſimplicis, quàm meri imperij. Sed dicet aliquis quorſum inquirere diuerſitatem huiuſmodi inter Principem, & vaſallum, in condenda lege, ſeu proclamate faciendo; & an in vaſallo condere legem, ſeu proclama facere, ſit imperij meri, vel ſimplicis iuriſdictionis. ſufficit quòd vaſallus poſſit ipſe facere, & licet eius lex non ſit generalis, quantum ad legem Principis, eſt tamen generalis quantum ad ſuum territorium, ſat eſt, quòd ſecundum præfatos Doctores hoc poſſit, & ipſe. Reſpondeo hanc indagationem eò tendere, vt demonſtremus, quòd licet vaſalli perpetuò inueſtiti poſſint ſaltem ſecundum, aut præter ius condere ſtatuta, & edicta, ſeu proclamata emittere in eorum terris, attamen vbi Princeps ipſe generaliter ſtatuit & prouidet per ſuam legem, & ſuum imperium exercet, non poteſt vaſallus ſuper eodem poſtea particulariter ſtatuere in loco ſuo, quia eo ipſo quòd Princeps, tanquàm vniuerſalis dominus apponit manum, & ſupremam iuriſdictionem, ſeu maximum imperium exercet in vniuerſo, efficit, vt nullus inferior ſe intromittere habeat; ceſſat enim tunc iuriſdictio inferioris, l. iudicium ſoluitur. ff. de iudicijs. capit. vt noſtrum, de appellationib. facit quod dicit Bald. in §. ad hæc. colum. 4. verſicu. itaque ab eo. de pace iuramento firmanda. vbi ait, quòd eo ipſo quòd Princeps cognoſcere cępit, & imperium exercere, cenſetur impoſitum ſilentium inferiori. allegat notata per Innocentium in capit. cum M. Ferrarienſis, de conſtitutionib. & Bald. refert Decius, in dicto capit. vt noſtrum, in principio. & Iacobin. à Sancto Georgio in ſua inueſtitura, in verbo, Vicarius, colum. 1. verſicu. & eo ipſo quòd Cæſar; & ſine dubio, in caſu noſtro, per appoſitionem manus ſuperioris, debet ceſſare iuriſdictio inferioris; eo quia, Princeps manum apponit, non tanquam dominus particularis loci, & caſtri ipſius vaſalli, ſed tanquam vniuerſalis totius Regni, & Principatus, quo caſu, vt diximus ſupra, ſubditi ipſius vaſalli ſunt ſubditi Principis vniuerſalis domini, & ipſi obedire tenentur, magis quàm domino immediato, nec habet locũ tunc regul. l. Modeſtinus, ff. de verborum ſignificationib. vt dicebamus in euidentialibus; non enim æquum eſt, vt hoc caſu inferior concurrat in iuriſdictione cum ſuo ſuperiore, qui ab eo iuriſ-

dictio.

dictionem tenet, maximè vbi ſuperior iuriſdictionem ſupremam, ſeu ſupremum imperium exercet; quia dici ſolet, vbi maior eſt minor ceſſat. dicta l. iudicium ſoluitur. ſuperioribus enim pares eſſe non poſſumus, dicit text. in l. 3. ff. de alien. iud. mut. cauſa facta. Vnde, ſicut vaſallus tunc non poteſt idem ſtatuere quod Princeps ſtatuit per ſuam legem generalem, ita nec iuriſdictionem habere ſuper legem Principis nec pęnas conſequi, quia non ſunt ſui imperij, quemadmodum ſi ipſe ſtatueret, ſed ſunt de imperio Pricipis vniuerſalis domini; alioquin ſi vaſallus ipſe cognoſceret, & pęnas conſequeretur, inanis penè & inutilis eſſet ſuprema iuriſdictio, ſeu ſummum imperium Principis, nec ipſum imperium haberet ſuos fructus, & emolumenta, ſi per alium perciperetur tanquam fructus, & emolumenta alterius gradus iuriſdictionis, & imperij, & ſic Princeps non diceretur vtiliter dominus vniuerſalis ſuæ iuridictionis & ſui imperij, prout eſſe debet, cùm ea ſibi reſeruauerit pleno iure, nec ea in vaſallum voluerit transferre, vt ſupra diximus; vanum namque eſſet dicere & putare, quòd imperium Principis retentum conſiſtat tantum in nudo actu legis condendæ, quia etiam ſtat in his, quæ ab ipſo actu dependent, proueniunt, & naſcuntur, vt probauimus ſupra. Patet ergo, ex prædictis, non eſſe verum, quod inquit Boſſius, ꝙ vaſallus poſſit & ipſe idem proclama facere, & ſtatuere quod Princeps ſtatuit, eo quia habeat & ipſe ius ſtatuendi, etiam contra ius. Prout ex prædictis apparet, quòd nec ſimpliciter eſt verum, quod etiam ait idem Boſſ. ibi, num. 27. dicens, quòd ſupremus Princeps non poteſt ſtatuere in terris feudatariorum; patet, inquit, quia in eis nullam habet iuriſdictionem. iuxta nota. per Bart. in d. l. omnes populi. in 1. quæſt. prin. ita, ſecundum eum, Franciſcus Curtius, in conſ. 2. colum. 2. verſ. minus. Nam nimis vniuerſaliter, & indiſtinctè loquitur Boſſ. quòd Princeps nullam habeat iuriſdictionem, & conſequenter non poſſit ſtatuere in terris feudatariorum; quoniam dico, quòd ſtatuendo generaliter, ſeu vniuerſaliter tamquam dominus ſupremus, & ratione ſuæ ſupremæ, & vniuerſalis iuriſdictionis, dicitur etiam ſtatuere in Terris feudatariorum; & quod ait Curt. d. conſ. 2. procedit, vbi Princeps vellet ſtatuere particulariter in Terra feudatarij, & ad præiudicium iuriſdictionis ſibi conceſſæ; tunc enim non eſſet exercere ſupremum imperium tamquam Princeps & vniuerſalis dominus, ſed potiùs vti particularis.

Appoſitè etiam addendum eſt prædictis, quòd vbi vaſallus poſſet ex iuſta & neceſſaria cauſa edictum, ſeu proclama prohibitorium, & pęnale facere in terra ſua, non tamen poſſet per proclama, aut conſtitutionem imponere pęnam confiſcationis bonorum, quia hoc Principi tantum competit, & his qui in ſumma adminiſtrationis ſunt poſiti poteſtate, vt dicit text. in l. 1. C. ne ſine iuſſu Principis liceat cer. iud. confiſcare. hine dicit notabiliter Bald. in l. fi. ff. de off. pręfec. vigil. quòd hoc arbitrium confiſcandi bona Princeps nemini, niſi verbis ſpecialibus concedere conſueuit; nam eſt de mero imperio ſupremo, vt ex eodem Baldo, vbi ſupra, tradunt Repetentes Luſita. in d. l. imperium. colu. 51. verſ. quod autem in confiſcatione bonorum: eis ergo tantum competit hoc ius, qui ſupremum merum imperium habent, & qui in ſumma dignitate ſeu adminiſtratione ſunt poſiti.

Et ideò malè dixit Iacobi. à San. Georg. in ſua inueſt. in verbo cum mero mixto imperio. colum. 2. verſ. ſed an inueſtitus. quòd vaſallus inueſtitus de mero, mixto imperio, & omnimoda iuriſdictione poterit confiſcationem bonorum facere, ſeu alicui imponere. allegat gloſ. in d. l. 1. C. ne ſine iuſſu Principis,

quæ

quæ declarat, quòd dicuntur, in ſumma adminiſtrationis poſiti poteſtate, habentes merum imperium. argum. l. 2. ff. de in ius vocan. & exemplificat quales ſunt illuſtres, ſpectabiles, & etiam clariſſimi. vt ff. de off. præſ. l. illicitas, §. qui vniuerſas. hoc dicit dicta gloſ. ex qua infert Iacobinus, & poſt eum etiam Socin. iun. conſ. 76. in fi. lib. 3. quòd vaſalli habentes merum imperium, præcipuè Marchiones, & Comites, qui dicuntur ſpectabiles, vt communiter tradunt Doct. in l. 1. ff. de off. eius cui mand. eſt iuriſd. & in l. ſi quando. per illum text. C. de appella. & in l. raptores, C. de rap. virgin. & in §. ſimilique modo. in auth. de appella. dicuntur in ſumma adminiſtrationis poſiti poteſtate, & conſequenter habent poteſtatem confiſcandi. Sed fallitur Iacobinus, quia glo. non habuit eam mentem, quòd quicunque habens merum imperium, dicatur poſitus in ſumma poteſtate, ſed reſtringit ſe ad eos, qui ſunt illuſtres, ſpectabiles, & clariſſimi, quòd ij tantùm dicantur eſſe in ſumma poteſtate, & conſequenter habeant ius confiſcandi; quinimò, in quãtum dicta gloſſa ponit ſpectabiles, & clariſſimos inter habentes ſummam poteſtatem, quantùm ad illam legem loquentem de exiſtentibus, ſeu poſitis in ſumma poteſtate, repræhenditur per Salicetum, ibi, quòd in hoc non benè dicat, quia inter illuſtres, ſpectabiles, & clariſſimos eſt dare gradus, vt tradunt omnes, in l. 1. ff. de off. eius cui mand. eſt iuriſd. & differunt in poteſtate, & adminiſtratione, & maior eſt poteſtas illuſtrium, quam ſpectabilium, & clariſſimorum: dum ergo lex dicit de poſitis in ſumma poteſtate, loquitur de ijs, qui ſunt in gradu ſummo, hoc eſt primo poſt Principem; quia, vt declarat idem Salice. ibi, in principio, ſummum ponit in gradu, vltra quem non eſt ire, & in hoc gradu, & poteſtate ſunt Præfecti prætorio, qui propter ſuam amplitudinem, cæteris maiorem habent poteſtatem, quia poſſunt condere legem, etiam generalem, vt d. l. normam, ſeu formam, ff. de offic. Præfec. prætorio orien. & ab eorum ſententijs non appellatur, ſed ſupplicatur, ſemel tantùm, vt in l. ſi quis aduerſus. C. de precibus Impera. offer. & ſeruata forma authen. quę ſupplicatio. de qua ibi. & hoc, quia Princeps, propter eorum induſtriam, non aliter credit iudicaturos, quam ipſe foret, vt dicit text. in l. prima, ff. de offic. Præfe. præto. iſtis ergò, hanc etiam poteſtatem concedit confiſcandi, pro arbitrio, præter legem, iuxta d. l. 1. C. ne ſine iuſſu Principis. cæteris autem, qui in ſecundo, & tertio gradu ſunt poſiti, videlicet ſpectabiles, vel clariſſimi, hæc poteſtas non conceditur, licet habeant merum imperium, quia non ſunt in ſumma adminiſtrationis poſiti poteſtate; ita etiã intelligit Angel. ibi, in dicta l. prima, C. ne ſine iuſſu Principis, vbi ait, quod quando nec tacitè, nec expreſsè, ex maleficio venit fienda confiſcatio bonorum, de ſui natura, ſed ratione abſoluti arbitrij, hebens merum imperium, vult inferre pęnam confiſcationis, tunc non poteſt, inquit, ſine permiſſu Principis, vel niſi ſupremam habeat poteſtatem; poterunt ergo, inquit; Reges, vel alij illuſtres, quia hi ſuprema poteſtate funguntur; Accedit quod dicit ibi etiam Bald. dum ait, quòd quando lex non ſtatuit de confiſcatione bonorum, ſed Iudex hoc facit ex officio, & arbitrio quod habet in extraordinarijs criminibus, vt l. 1. §. effractores, ff. de effrac. & expilato. vel etiam in extraordinarijs, per accidens, vt l. hodie. de pęnis. tunc, ſi vult omnia bona confiſcare, quaſi hoc poſſit ex arbitrio, non poteſt, niſi ſit de ſummis magiſtratibus, vel niſi conſulto, & permittente Principe; ita, ſecundum eum, dicit Azo, in ſumma, & Odoffre. & Cyn. Vnde infert, ibi, in fine quòd præcepta, & banna iudicum,

que fiunt in ære, & perſona, non tenent, inquit, niſi ſint tales, qui hoc poſſint ſecundum amplitudinem ſuæ poteſtatis, vt ibi, in dicta l. prima, C. ne ſine iuſſu Principis, & idem Bald. in capit. primo, in princip. colum. 4. verſic. hic quæro. titu. de pace tenenda. quem refert, & ſequitur Roman. in rubr. ſeu tracta. de arbitris. colu. 12. verſic. item an dicto caſu. formans quęſtionem, an iudices ratione generalis arbitrij poſſint omnia bona publicare; & videtur, inquit, quòd ſic; nam poſſunt quod eſt plus, ſcilicet condemnare ad mortem, in arbitrarijs, vt ſingulariter nota. Inſtitut. de iniur. in §. pœna. & hoc eſt quòd dicimus, vt ait, quòd puniunt in ære, & perſona, vt nota. in auth. de armis. colum. 6. vbi glo. nota. in verbo, pecunijs: ſed in contrarium, inquit, eſt caſus, C. ne ſine iuſſu Principis.

Et ſic ex prædictis patet concluſio, quòd vaſalli habentes merum imperium nō poſſint confiſcationem omnium bonorum imponere, pro arbitrio, in præceptis, & bannis, niſi ſpecialiter eis concedatur à Principe. Hinc etiam eſt, quòd in citatione contra reum delinquentem, vt compareat, non poſſunt imponere pœnam confiſcationis bonorum, ob contumaciam. vt per Afflict. in capit. primo, §. condemnatorum. numero decimotertio, titu. quæ ſint regalia. poſt Iſerniam, ibi, in dicto titulo, in verbo, contrahentium inceſtas nuptias. numero 42. & 43. vbi latè tradit. eo quia iudex non debet imponere pęnas inſolitas, ſed debet eſſe contentus pęnis legibus compræhenſis, vt per eoſdem Afflic. & Iſerniam. allegat vterque l. ſtipulatio. ff. de verborum obligat. (ſed eſt l. ſi ita ſtipulatio.) ſunt autem, per leges ſtatutæ pęnæ, quæ contumacibus imponuntur. vt l. eos, C. de modo mulcta. & iſta pęna omnium bonorum, pro contumacia, non reperitur expreſſa in iure, ergò ſtamus regulis; videntur enim Iudices. vt aiunt Afflic. & Iſernia, hoc faciendo, cauſa auaritiæ facere, vt latè per Andream de Iſernia, ibi.

Poſſunt ergò vaſalli imponere pęnam cōfiſcationis bonorum in caſibus tantum, in quibus reperitur impoſita à lege; lex autem aliquando eam imponit tacitè, in conſequentiam ſcilicet pęnæ, puta mortis naturalis, vel ciuilis. vt in l. deportatorum, C. de pęnis. & in l. in metallum, C. de bon. proſcript. aliquando expreſsè eam imponit, non in conſequentiam pęnæ. vt in l. 2. C. ad leg. Iul. de vi pub. & l. qui contra C. de inceſt. nupt. nam hanc confiſcationem expreſſam, vel tacitam poteſt facere quicunque habet cognitionem, & condemnationem de illo crimine. ita declarant Doct. poſt gloſ. in dicta l. prima, C. ne ſine iuſſu Principis. præcipuè Salicetus, qui propterea ibi, in fine, ſaluando dictam gloſſam, dicentem eos dici pōſitos in ſumma poteſtate, qui habent merum imperium, & propterea habere ius confiſcandi, dicit, quòd illa glo. eſt vera in caſibus à iure expreſſis, & ad eos fortè ſe retulit, non autem in alijs. Sed procedamus modò ad tollendas rationes, quas Natta etiam adducit ad comprobandam opinionem Boſſij.

Non obſtat itaque ratio. quam ipſe Natta adducit d. conſ. 659. dum ait, quòd vbi aliquid diſponitur per verba vniuerſalia, capiendo nomen vniuerſale, prout accipitur in hac materia, videlicet plura ſub ſe complectens collectiuè, vt eſt in caſu iſto merum imperium, quòd habet ſub ſe plures gradus pęnarum, & plures ſpecies delictorum, tunc ſub huiuſmodi diſpoſitione veniunt futura augmenta, & acceſſiones l. peculium, ff. de leg. 2. cum alijs per eum allegatis, & ait hanc rationem meliùs facere, quàm adductas per Boſſium.

Reſpondemus, quod imo hæc ratio minus probat. Nam debuerat Natta priùs dicere:

dicere, prout cum veritate poterat, quòd imperium, tamquam genus, continet ſub ſe plures ſpecies, ſeu gradus; iuxta plenè tradita per Doct. in d. l. imperium, ff. de iuriſdict. omnium iudicum, & diximus ſuprà; & quælibet ſpecies, ſeu quilibet gradus imperij habet ſub ſe plures gradus pęnarum, & plures ſpecies delictorum, vt loquar cum ipſo Natta; quo ſtante, argumentum eius, ſiue ratio procedere poſſet, ſi, & vbi omne imperium generaliter eſſet translatum in vaſallum per Principem, nullo retento. Sed cùm Princeps retinuerit in ſe primum gradum imperij, nempe maximum, ſeu ſupremum, verum non eſt, quod diſpoſitio de mero imperio ſit vniuerſalis, ſeu particularis quorundam graduum, ſeu ſpecierum; & ideo nec etiam dici poteſt, quòd omnes gradus pęnarum, & omnes ſpecies delictorum meri imperij tranſtulerit in vaſallum; quia, ſicut non eſt translatum merum, & mixtum imperium ſupremum, ita nec gradus pęnarum, nec ſpecies delictorum, quæ ſunt, ſeu proueniunt ex eo, & naſcuntur; & ſic nec futura augmenta, & acceſſiones; ſed illa eſſe debent eius, cuius eſt principale, cui accedunt; quia retentio cenſetur cum ſuis acceſſionibus; vnde, cùm delicta, & pęnæ, quæ ex lege, ſeu edicto generali Principis procedunt, non ſint augmenta, & acceſſiones meri imperij translati, ſed potiùs meri imperij retenti, vt de ſe patet, ſequitur quòd Principi debentur, non autem vaſallo; alioquin ſequeretur, vt diximus ſupra, quòd Princeps haberet quidē maximum merum imperium, ſed alius haberet emolumēta, & commoda, ſeu fructus, quòd eſſet abſurdum, & præter mentem concedentis.

Vnde malè conſulit Natta in cauſa propria, quòd pęna confiſcationis omnium bonorum, impoſita in edicto prohibitiuo delationis Archibuxij à rota, de quolibi, facto per Principem, & publicato, vt ipſe refert, in principalioribus partibus prouinciæ, ſpectet ad eum, & alios de Nattis Dominos Tonghi feudatarios, ex eo præcipuè, vt ait, quòd inueſtituram, quam meruit habere Henricus auus ſuus de dicto loco, dicebat, cum pęnis, mulctis, condemnationibus ordinarijs, & extraordinarijs; quia intelligitur de pęnis, mulctis, & condemnationibus naſcentibus, & prouenientibus ex mero imperio, de quo in inueſtitura, translato in auum; quia eius quidem erat dominus vtilis, ſed non de naſcentibus, ſeu prouenientibus ex mero imperio Principis retento, & ab inueſtitura aui excluſo; quia cùm eius imperij Princeps inueſtiens ſit dominus, pleno iure, eius eſſe debent fructus, & emolumenta. & ita intelligitur Bald. in l. prima, quæſt. 43. ff. de rerum diuiſio. allegatus per Nattam, & quæ cumulat Cur. conſil. 2. etiam per eum allegatus.

Tantò autem magis, in caſu talis edicti generalis prohibentis delationem armorum, cognitio, & pęna ad Principem ſpectare debet, etiam in terra vaſalli, cùm ipſe Princeps ſolus prohibeat portationem, & ſolus ipſe licentiam concedat deferendi, & non alius. vt in l. prima, Cod. vt vſus armorum inſcio Principe interd. ſit. libro vndecimo, & in authen. de armis. colum. ſexta, ita inquit Ioan. Ferault, in ſuo tracta. iurium regalium Franciæ. priuileg. 19. vbi ait, quòd ex quo ſolus prohibet portationem armorum, ſolus in hoc offenditur, ideò æquum eſt ipſum ſolùm cognoſcere debere de portu armorum. ita inquit ille Doctor. Et vbi vaſallus poſſet fortè cognoſcere de portu armorum, vt voluit Guido Papæ, quæſtio. 437. numero ſeptimo, attamen, non poſſet, vbi ex edicto, ſeu lege generali Princeps prohiberet, ſub pęna confiſcationis bonorum, & vt

vt aliquando vidi; ſub pœna triremium; quia, hoc caſu, pertinet cognitio ad Principem, ex ſupradictis; Sicut nec etiam poſſet vaſallus cognoſcere, quando vna Villa alicuius vaſalli inſurgeret contra aliam eiuſdem, vel alterius vaſalli, vel vnus dominus contra alium dominum, cum armis, vel ſi in Villa fieret ſeditio, vt quia minores inſurgunt cum armis contra maiores, vt ſæpè contingit; tunc enim cognitio, & ſimiliter pęna non ad dominum loci, puta Baronem, vel Comitem ſpectaret, ſed ad Principem, ita ſcribit idem Guido Papæ, vbi ſupra, & Ioann. Ferault, dicto priuilegio decimonono. nullus enim poſſet ſufficere illi rei, niſi ipſe Princeps, ad refręnandum, vel compeſcendum talem illicitam armorum congregationem; quæ ratio, in ſimili, conſideratur in l. prima, in fine. ff. de offic. præfec. vigil. & l. ſecunda, & tertia, in principio, eodem titulo, & in l. addicto ſupplicio. C. de Epiſco. audientia. &, poſt eundem Ioan. Ferault, idem dicit Iacobus Bonaudi, in ſuo panegirico, poſt tractatum Io. de terra rubea, de priuilegijs, & iuribus primogeniti Delfini Franciæ, col. 16. in fi. verſ. ex ſe, & memoratis temporibus, & col. ſeq.

Similiter dicendum eſt, quòd licet aliàs poſſet vaſallus fortè cognoſcere de portu armorum; & etiam, ex. cauſa, ipſe prohibere delationem armorum, vt conſuluit Crau. conſil. 314. eodem quod ſit in exequutionem prohibitionis factæ à lege, vt in dicta authen. de armis, §. penult. & dicta l. prima, C. vt armorum vſus. libro vndecimo, & in l. prima, vbi Bart. C. ad leg. Iul. de vi pub. & in capit. primo, §. ſi quis ruſticus. vbi omnes Feudiſtæ, præcipuè Aluarotus, de pace tenenda. cum alijs relatis per Brunum, conſil. 207. incip. circa proclamata Dominorum Scagnelli. colum. prima, non tamen poſſent, per eorum proclamata, quantùm ad pœnam, alterare diſpoſitionem iuris communis; & ideò non poſſent imponere pęnam exceſſiuam, & vbi imponerent, non valeret proclama. vt concludit idem Brunus, vbi ſupra, colum. ſecunda, verſic. cæterùm prædicta proclamata. & columna fin. vbi ait, quòd quando pęna pecuniaria imponitur exceſſiua, non valet, etiam in ea ſumma, quæ eſt licita, & à iure permiſſa; ita quòd tunc maiori ſummæ minor non ineſt. l. certa, cum ibi nota. C. quando prouoca. non eſt neceſſe. & per Bart. & Bald. in locis ibi relatis: multò minus ergo poſſent vaſalli, etiam Barones, vel Comites, in talibus proclamatibus, imponere pęnam confiſcationis bonorum, vt diximus ſupra; nec pęnam aliquam corporalem, puta banni, vel triremium; quia eſſet alterare diſpoſitionem iuris communis, quòd nemo facere poteſt niſi Princeps.

Non etiam poſſet vaſallus cõcedere portum, ſeu delationem armorum, etiam ex cauſa; quia eſſet diſpenſare contra legem. dicta l. prima, C. vt armo. vſus. & alijs iuribus ſupra adductis. ita nominatim determinat Iacobus Rebuffus, in dicta l. prima, colum. ſecunda, verſic. ſed quæro ſi aliquis. vbi quærit ſi aliquis pacificus ſubditus vaſalli timeat, per aliquem iniurioſum, & temerarium inuadi, vulnerari, vel interfici, an poſſit Comes, vel Baro, vel Seneſcallus Principis tali ſuo ſubdito concedere licentiam deferendi arma, pro ſui defenſione. & reſpondet quòd non, vt in illa lege, in qua Principi ſoli licere dicitur; plura enim Principi permittuntur, quæ alijs permiſſa non ſunt, vt ff. de flum. l. quominus. & ff. de aqua plu. arcend. l. ſi autem, §. ſi flumen. præcipuè, quòd ad cuſtodiam alicuius loci cum armis nullus deputare poteſt, niſi ſolus Princeps, qui poteſt contra legem diſpenſare. & pro

T hoc,

hoc, in authen. vt Iud. ſine quoquo ſuff. fiant. §. interdicimus. & in auth. de mand. Princip. §. eos. & multa alia iura adducit, vt per eum. Idem tenet Affliƈt. capit. primo, §. ſi quis ruſticus. numero nono, de pace tenenda. & Lucas de Penna. in diƈta l. prima, vt armo. vſus. colum. fin. verſic. ſed quæro. vbi format quæſtionem, de Præſide prouinciæ, an poſſit dare licentiam priuato ferendi arma. & diſputat ad partes, tandem concludit, quòd non poſſit. & pro hoc videtur caſus, ſecundum eum, in auth. de mand. Princip. §. penultimo. Vnde patet, quòd non benè dicit Ioann. de Platea, in diƈta l. prima, colum. fin. circa fin. vt armor. vſus. qui ait, quòd Comes poteſt dare licentiam deferendi arma. allegat tex. in diƈto capitulo primo, §. ſi quis ruſticus. verſ. ad palatium Comitis. diƈto titulo, de pace tenenda, & eius violato. vbi tex. ait, quòd ad palatium Comitis nullus miles ferat arma, niſi togatus à Comite; nam ille tex. non probat diƈtum Ioan. de Platea; quia loquitur de militibus, ſeu alijs, quibus aliàs liceret arma portare, quòd tamē non poſſint, nec eis liceat illa portare in palatio Comitis, ſicut nec in palatio Iuſtitiæ; nam hæc eſt particularis prohibitio, quòd in palatio, vbi dominus habitat, & vbi adminiſtratur iuſtitia, non liceat arma deferre; & ideò notant ibi Doƈto. præcipuè Bal. quòd ad Palatium Communis Florentiæ, quòd in Italia eſt magnæ excellentiæ, vt ait, nemo poteſt portare arma, ſicut nec ad palatium Comitis. idem notant Aluarot. & Præpoſ. ibi, dicentes, quòd in palatijs Principum, & Dominorum, vel etiam Comitum, non licet portare arma; & ratio eſt, inquiunt, vt tollantur omnes occaſiones, vbi iuſtitia, & quies Reipublicæ gubernatur, ne poſſit, mediantibus armis, turbari, inquiunt. Hinc fortè eſt, quòd cùm aliquis nobilis, vel miles ingreditur Auditorium Excellentiſs. Senatus, vel Illuſtris Cameræ iubetur arma deponere, exceptis Equitibus Ordinis Annunciationis, vt vidi ſeruari. in propoſito. Ergo, ex illo textu, non probatur quòd vaſallus, etiam Comes, vel Baro, poſſit concedere licentiam ferendi arma ubilibet, etiam extra palatium; & licet ipſe Comes, & quilibet habens merum, & mixtum imperium, poſſit ferre arma, ut tenet Iacobus Rebuffi, in diƈta l. prima, colum. ſecunda, uerſic. ſed quæro nunquid Barones. ut armorum uſus. & Affliƈt. in diƈto §. ſi quis ruſticus. ſub numero primo, uerſ. item fallit in officiali habente merum, & mixtum imperium. attamen non ſequitur, quòd propterea poſſit alij licentiam dare, etiam cum cauſa, ut ſupra diximus. Et, reuertendo unde digreſſi ſumus, patet ex prædiƈtis, quòd rationes, & argumenta adduƈta per Nattam, ad comprobationem opinionis Boſſij, non obſunt concluſioni ſupra faƈtæ.

Similiter non obſtant rationes adduƈtæ per D. à Ponte, etiam ex aduerſo relatæ: nam prima ratio, dum ait, quòd cùm feudatarius generaliter ſit inueſtitus de mero, & mixto imperio, utilique dominio, quicquid inde prouenire poteſt in inueſtitura continetur; Hæc enim ratio ceſſat ex his, quæ ſupra diximus; negatur etenim, quòd uaſallus ſit generaliter inueſtitus de omni mero, & mixto imperio, ſed limitatè, de mero, & mixto imperio ſecundi gradus, non autem primi; quia primum gradum Princeps ſibi retinuit, non tantum tacitè, ſed & expreſſè, uirtute clauſulæ reſeruatiuæ in inueſtitura appoſitæ, ſaluo iure directi dominij, ſuperioritatis, & quolibet alio: quo fit, ut ceſſet conſequentia, quæ per eum fit, quòd quicquid ex mero & mixto imperio prouenire poteſt, continetur in inueſtitura; quia imò in ea non continetur niſi id, quod prouenire

nire poteſt ex illo gradu meri, & mixti imperij conceſſi ſeu translati, cùm acceſſorium non debeat eſſe maius ſuo principali, iuribus ſupra adductis;quin imò, quicquid prouenire poteſt ab imperio mero & mixto reſeruato per Principem,cẽſetur ab inueſtitura excluſum, ſicuti eſt excluſum principale à quo ne ſcitur, & dependet.

Patet etiam hinc, non valere conſequentiam,ſeu illationem,dum dicitur,quòd feudatarius ratione iuriſdictionis, & meri imperij, ipſe proclamata de nouo facere poteſt, ſuper non delictis; vnde, ſicut pœnæ,vt dicitur, prouenientes ex nouo edicto per eum faciendo, ad eum ſpectant,ita etiam ſi proueniant ex edicto Principis; cùm in ſtatuendo, ipſe etiam vices Principis gerat, & eius auctoritate ſtatuat, &, quoad emolumentum conſequendum, non eſt, inquit, probabile diſcrimẽ inter vnum caſum, & alterum.Nam reſpondetur,non procedere argumentum à ſimili, quando duo ſunt ſimilia ſecundum quid, ſed non ſimpliciter, tunc enim non procedit tale argumentum, ſi in eo, in quo fit comparatio, ſit diſſimilitudo, vt tradunt Panorm. Felin. & Imola,in ca. translato. de conſtit. quos,cum plurib. alijs,refert Nicola.Euerard.in locis argumentorum legalibus, loco à ſimili. col.3.verſ.& procedit tunc demùm. At hic magna eſt diſparitas inter vnum,& alterum caſum; quia non eſt par poteſtas ſtatuendi,ſeu condendi legem,Principis, & vaſalli; quoniam in Principe, poteſtas ſtatuendi, & condendi legem generalem eſt de mero imperio ſupremo, in vaſallo autem ſtatuere non eſt de illo mero imperio, ſed de imperio ſecundi gradus translato,vt ſupra probauimus; & ideò dici non poteſt,quòd non ſit probabile diſcrimen inter vnum & alterum caſum, quoad emolumentũ conſequendum;quia imò grande eſt diſcrimen, cum in vno caſu emolumentum proueniat ab vno gradu imperij, in alio verò ab alio, & ſic ex diuerſis fontibus naſcatur & proueniat.

Non etiam recta eſt interpretatio edicti, ſeu legis generalis ipſius Principis,quę ſit, dum dicitur, quòd edictum applicans pœnam Cameræ, ſeu fiſco Ducali, debeat intelligi procedere in terris immediatis, non autem mediatis, & per hanc viam non eſſe fraudandos feudatarios ſuis emolumentis, vt dicitur, quia, cùm Princeps, hoc caſu, condendo legem generalem, ſeu generaliter ſtatuendo, exerceat actum ſupremæ iuriſdictionis vniuerſalis, ratione cuius non poteſt præcipere, ſeu imperare vniuerſaliter, tam in terris mediatis, quàm immediatis, & eius generale edictum æquè liget,& afficiat omnes in vniuerſo, tam mediatos ſubditos, quàm immediatos, certè dicendum eſt, quòd pęnæ applicatio, reſpiciens omnes in vniuerſo, & ab imperio ſeu iuriſdictione Principis proueniens, debeat cenſeri pariformis, tam ad mediatos, quàm immediatos ſubditos, quia omnium eſt vna determinatio, argumen.l.iam hoc iure.ff.de vulg.& pupil. vnde iniuria non fit vaſallis ſi pęna indiſtinctè Cameræ, ſeu fiſco Ducali, applicatur,& non ipſis; neque iudicandum eſt quòd in fraudem, ſed iure id fiat, cùm illa ſit debita Principi, vti ab eius imperio proueniens, non autem vaſallis, quorum hoc caſu non eſt imperium.

Similiter non militat argumentum, quod fit ab eodem D. à Ponte,loco ex aduerſo allegato,col.8.ver.qua ratione. dum ait,quòd qua ratione vaſallus eſt iudex competens in cauſis ſaluaguardiarum, multò fortiùs erit etiam competens, vbi agitur de contrauentione edictorum Principis. Nam reſpondetur argumentum hoc, cùm ſit à diſſimilibus & diſparibus, ac diuerſam rationem habentibus,non procedere.ex vul.l.illud, ff. ad leg.Aquil.l.à Titio. ff. de verbor. obligat.cum ſimilibus. diſparitas ſiqui-

T 2 dem

dem eſt, & diuerſa ratio conſideratur inter hæc duo, quia licet vtrumque ad ſolum Principem ſpectet, & legem generalem condere, & ſaluaguardiam cōcedere, vt de ſaluaguardia tradit Io. de Platea, in l. cùm ſæpe. col. fin. verſ. nota ergo. C. de eroga. milita. anno. dicens, ꝙ ſaluaguardia non poteſt dari vel apponi, ſine litteris Principis, vt ibi in illo textu probatur; quia hæc ſaluaguardia, inquit, dicitur quodammodo eſſe quid regale, arg. c. 1. quæ ſint regalia. iuncto tex. in authen. de collatoribus, in §. eos autem. cum alijs ibi relatis. quem refert, & ſequitur Chaſſaneus, in catalogo gloriæ mundi. in 5. par. cōſideratio. 24. vbi, inter iura Principis, enumerat, ibi, verſic. 195. ſaluaguardiam. dicens ad ſolum Principem ſpectare, dare cuſtodiam, ſeu ſaluaguardiam. & verſ. 118. eadem conſideratione, ac in commento ad conſuetud. Burgund. rubr. 1. §. 4. num. 65. & per Ioann. Feraul. in tractatu iurium ſeu priuilegiorum regni Frāciæ, in decimoſexto iure, ſeu priuilegio. & Iacob. Bonaudi, in Panegirico, poſt tract. Ioann. de Terra rubea, ſupra allegati, colum. 14. verſic. ex ſeſe, & ſuo iure. & col. ſequenti. Attamen in alio eſt diſparitas; quia per legem generalē, ſeu edictum Principis fit delictū quod anteà non erat delictum, vt fatentur Boſſius, & ipſe D. à Ponte; ſed per ſaluaguardiā prohibetur, ne fiat vel committatur, quod de ſe eſt delictum, nempe, quòd receptus ſub protectione, & ſaluaguardia Principis offendatur, turbetur, vel aliàs moleſtetur ipſe, nec eius familia, & bona. Item per legem ſeu edictum generale noua quodammodo, ex facto Principis, oritur, ſeu gignitur iuriſdictio, quæ circumſcripta lege, ſeu edicto nullam erat; quia hoc eſt quod dicitur fieri de non delicto delictum; & conſequenter nihil vaſallo, ſeu eius iuriſdictioni detrahitur, vel deperit; ſed in ſaluaguardia aliud eſt, quia per eam non gignitur noua iuriſdictio, ſed, circumſcripta ſaluaguardia, iuriſdictio eſt, & exercetur aduerſus offendentem ſubditum vaſalli; & hoc eſt quod dicunt omnes, quòd per receptionem ſub protectione & ſaluaguardia non detrahitur iuri alicuius, quominus eo experiri poſſit, & ſic nec etiam detrahitur iuriſdictioni ipſius vaſalli, quominus eam exercere poſſit, vt habetur in cap. ex parte. & in cap. recepimus. extra, de priuileg. vbi Abbas notat, dicens, quòd per receptionem factam ſub protectione, non detrahitur in aliquo iuri aliorum, quòd notandum ait in facto, quia quotidie domini temporales potentiores recipiunt minus potentes ſub protectione eorum, nam per hoc; inquit, non præiudicatur iuri aliorum in aliquo, & ſic habentes iura parata, poſſunt hoc non obſtante, ea liberè exercere. Abbatem refert, & ſequitur Decius, in cap. ad audientiam, columna prima, de appellationibus. Barba. conſil. vndecimo, colum. decimatertia, verſic. facit quod voluit Bartol. libro ſecundo, & conſi. primo, colum. antepenultima, verſic. utrum uideantur exempti. & colum. ſequen. libro quarto. Natt. conſil. 237. numero ſecundo, & tertio, vbi multa ad hoc adducit, & in terminis Rolan. à Valle, conſil. 73. ſub num. 21. verſic. non obſtat quod dicitur de contraueniente litteris ſaluaguardię, quibus addo Cagnolum in procemio Digeſti veteris, nume. 55. & ſequentib. vbi aduertit, quòd propterea litteræ declaratoriæ, quæ per Cancellariam Principis conceduntur, quòd per conceſſionem ſaluaguardię non fuit mentis voluiſſe præiudicare iuribus ſupplicantis, videntur ſuperfluæ; ſed in hoc non eſſe ſuperfluas dicit, propter pœnas in ipſis litteris ſaluaguardiæ adiectas, vnde receptus ſub protectione, & ſaluaguardia, non dicitur exemptus, per talem ſaluaguardiam, à iuriſdictione vaſalli, & Iudicis

dicis ſui, vt in dicto capitu. ex parte, col. ſecunda, de priuilegijs, & dicit Guido Papæ, quæſtione 56. quòd Princeps, per ſaluaguardiam, non cenſetur derogare velle iuriſdictioni ordinariæ. allegat multa iura, non tamen allegat dictum cap. ex parte, qui eſt textus formalis, quo fit, vt non ſit opus quòd vaſallus habeat à Principe aliquam declarationem non fuiſſe mentis, &c. Cognoſcit ergo vaſallus in cauſa ſaluaguardiæ ratione ſuæ iuriſdictionis ordinariæ, quam habet etiam circumſcripta ſaluaguardia, non autem in vim litterarum ſaluaguardiæ Principis, ſeu eius officialis, ſecundum Chaſſanæum, in dicto commento ad conſuetudinem Burgundiæ, rubr. prima, titu. *des iuſtices, & droicts d'icelles*, ſub nume. 10. verſicu. ſecundus eſt, in crimine. vbi ait, quòd infringens ſaluaguardiam Principis debet reſpondere coram Officiarijs Regijs, & idem Chaſſanęus in dicto catalogo, d. 5. parte, conſideratione 195. vbi etiam ait, quòd cognitio, ſeu coactio Iudicibus Principum ſpecialiter reſeruatur, prout idem dicit Ioannes Ferault. dicto tractatu de iuribus, ſeu priuilegijs Regni Franciæ, iure 16. argumen. l. 2. C. vt nemo priuatus titu. prædijs ſuis, vel alien. imponat. quo fit, vt Principis ſit cognitio, & punitio de infractione ſaluaguardiæ, ſeu eius officialium, & etiam pœna; vaſallus autem cognoſcit, & punit ratione ſuæ ordinariæ iuriſdictionis, cognoſcendo de delicto in ſuo territorio commiſſo, cuius iuriſdictioni Princeps per ſuas litteras non præiudicauit; & ſic, diuerſis reſpectibus, quis pro eodem facto, ſeu delicto, per duos punitur. ita in terminis notabiliter determinat Iacobus Rebuff. in d. l. ab his, num. 2. C. de nauicular. lib. 11. ait enim, quòd violator ſaluaguardiæ tenetur Regi, ſeu deputatis ab eo, ad emendam, quia delinquendo offendit eum, ſaluaguardiam uiolando, ergo debet habere, inquit, ſuæ iniuriæ vltionem, vt in §. denique, titu. quæ fuit prima cauſa benefic. amitt. & l. ſi quis hac lege. ff. qui, & à quib. eum ibi not. maieſtas etenim, ut ait, contempta uindicanda eſt. l. ſi familia, ff. de iuriſdic. omn. iudic. & argum. l. nullum, C. de teſtib. Baro autem cognoſcit, inquit, & puniet de delicto in eius territorio, ſeu iuriſdictione commiſſo. C. ubi de crimine agi oporteat. l. 1. & auth. qua in prouincia, eo. tit. & extra, de rapto. c. 1. cùm propter ſaluaguardiam non debeat detrahi iuri, ſeu iuriſdictioni Baronum, ut ſupra diximus, & ſic nimirùm, inquit Rebuffus, ſi pro eodem facto, ſeu delicto per utrumque puniatur, cùm plures exceſſus, ſuo facto, commiſerit. arg. ff. de priuatis delict. l. nunquam plura. & C. de ijs, qui à non dom. manumit. l. fin. & in feudis, de clerico violato. pacis, in princ. & §. 1. & 3. hæc inquit Rebuffus, ubi ſupra. Ecce ergo quòd nõ procedit argumentum, quòd ſit à cognitione ſaluaguardiarum ad cognitionem edictorũ Principis; quia, in cauſa ſaluaguardiæ, cognoſcit uaſallus, ratione ſuæ iuriſdictionis ordinariæ, quam habet, etiam circumſcripta ſaluaguardia; ſed, in caſu edicti generalis Principis, cùm per illud non detrahatur iuriſdictioni uaſalli; quia, circumſcripto edicto, nulla ſubeſt iuriſdictio, cuius ratione cognoſcere poſſet. Ideo potiùs retorquetur dictum argumentum; quia, ſicut in cauſa ſaluaguardiæ ipſe Princeps, ſeu officialis cognoſcere debet, eo quia Principis maieſtas contempta dicatur, eodem modo, & eadem ratione debet ipſe cognoſcere de edicto ſuo generali; Et ſic patet non etiam eſſe uerũ indiſtinctè, quòd uaſalli cognoſcant in cauſis ſaluaguardiarum. Et ideò malè cõſuluit Iaſ. dicto conſ. 57. per eundem à Ponte allegatus; qui debet declarari, & intelligi, prout etiam

ſententię Excellentiſſimi Senatus, etiã per eundem à Ponte relatæ, quòd ſcilicet vaſalli, ſeu eorum Iudices cognoſcant de ſaluaguardia, & puniant, ratione eorum iuriſdictionis ordinariæ, cui per ſaluaguardiam non fuit derogatum; ſed de contemptu & violatione, & ſi propriè de ipſa ſaluaguardia cognoſcere debeat Princeps, & punire, & ipſe pœnas conſequi, qui fuit offenſus, ex ſupra adductis; quibus accedit quod determinat Oldrad. iam ſupra relatus, in conſi. 148. & Bal. in cap. 1. de Cap. qui curiam vend. col. penult. quos refert, & ſequitur Iacobi. à Sancto Georgio, in ſua inueſtitura, in verbo, de caſtro rubei montis, col. 2. verſ. pone Princeps conceſſit mihi caſtrum. dicentes, quòd ſi Princeps conceſſit mihi Caſtrum, ſeu Caſtellaniam, cum quarta parte omnium obuentionum, & aliqui de loco commiſerunt delicta contra Principem, per quæ debeant perdere bona, tunc inueſtitus de tali castro non debet habere partem illorum bonorum, eò quia illud quod alicui debetur in vindictam ſuæ iniuriæ, non debet alteri conferri, vt dicunt præfati Doctores iuribus per eos adductis. & certè abſurdum videtur, quòd cùm ſit offenſa authoritas Principis, & eius maieſtas ipſe non poſſit, nec debeat cognoſcere, ſed alius, & pœna, quæ ipſi Principi eſt debita in ſuæ iniuriæ vltionem, alteri non offenſo applicetur. Dicendum ergo, quemadmodum ſupra dicebamus de edicto Principis, quòd cùm ſaluaguardiam concedere ſit de reſeruatis ipſi Principi, & ſit etiam de maximo imperio, ſaltem mixto, cum expediatur officio Principis nobiliſſimo ad priuatam vtilitatem, iuxta tradita per Doct. in dicta l. imperium. ideo cognitio cauſarum, & pœnæ ſimilium litterarum, vti dependentium, ſeu prouenientium ex illo ſummo imperio Principis, debet pariter ad ipſum Principem ſpectare, ex ſupra adductis.

Non etiam debent vaſalli, nec poſſunt cognoſcere, nec ad eos ſpectat pœna ſaluaguardiæ, ſeu iuris cuſtodię in eccleſijs vacãtibus in eorum terris; quia hoc ius, ex antiqua conſuetudine, eſt ipſius Principis, qui eccleſias vacantes reducit, cum bonis ſuis, ſub ſua cuſtodia, ſeu ſaluaguardia, iuxta cap. generali. de elect. in 6. nam illud non competit aliquibus laicis, niſi dumtaxat Principibus, ex priuilegio, vel antiqua conſuetudine, vt probat text. in dicto cap. generali. vbi Doctores notant. tradit Chaſſan. in dicto catalogo gloriæ mundi, d. conſideratio. 24. verſic. 184. poſt Ioannem de Selua, & Corſetum, per eum relatos. & hoc ius competit Ducibus Sabaudiæ, vt in libro Decretorum Ducalium, lib. 2. capite incip. Eccleſiaſticæ libertati. rubr. quòd Bailliui, Caſtellani, aut alij Officiarij bona Eccleſiarum, &c. de quo iure pro Sereniſſimo Duce noſtro aliàs ſcripſimus. Et ex præmiſſis etiam concludimus nõ obſtare rationes adductas per Dominum Præſidem à Ponte, & ſic firmam remanere concluſionem ſupra factam, quòd cognitio ac pœna edictorum generalium, in terris vaſallorum, ad Principem ſpectet, non autem ad vaſallum.

Silentio prætereundum non exiſtimo, pro iuribus & intereſſe Principis, eiuſque fiſci, non eſſe veram aliam opinionem eiuſdem D. Præſidis, in dicta queſtio. 24. col. 3. in fi. verſicu. vnde licet quandoque. dum, tractando de cognitione, & pœna criminis læſæ maieſtatis, dicit, quòd licet quandoque, ratione vltionis ſibi debitæ, poſſit Princeps ſeu eius officialis cognoſcere, emolumentum tamẽ ſpectabit ad vaſallum, & hoc, etiam in primo capite lęſæ maieſtatis; & multis probat, eo in caſu, confiſcationem bonorum non ad Principem, ſed ad vaſallum pertinere. Nam contrariam ſententiam veriorẽ teneo,

vti

vti communem, quòd immò in crimi-
ne læſæ maieſtatis non modò cognitio,
& punitio ad Principem, & dominum
ſuperiorem ſpectat, ſed etiam emolu-
mentum confiſcationis bonorum, non
verò ad vaſallum. hanc enim opinio-
nem tenet Andreas de Iſernia, pluribus
in locis, videlicet in cap.1.num.3. qua-
liter vaſal. iurare debe. fidelita. vbi ait,
quòd ſi aliquis de caſtro Titij vaſalli te-
neret rem aliquam in dicto caſtro libe-
ram, & non in feudum, & commiſit cri
men maieſtatis, bona Burgenſatica, quę
habebat in caſtro, perueniunt ad fiſcum
Regium, per clauſulam formæ commu
nis priuilegiorum, reſeruantem Princi-
pi ea, quæ competunt ratione maioris
dominij. idem dicit de ea clauſula, in
cap.1. §.ſi verò violator. in verbo, hæ-
redes, num.4. vbi ait, quòd talia bona
burgenſatica dicuntur pertinere ad Re-
gem, ratione maioris dominij, reſeruati
per dictam clauſulam. & in cap.1. ſub
num.16. verſic. ex his videmus. quæ ſit
prima cauſa benefic. amitten. ſequitur
Præpoſitus, in dicto cap.1. qualiter va-
ſal. col. fin. verſic. quæro ſecundum eun-
dem Andream. & verſic. ex qua doctri-
na. vbi ait notandum, ex ipſo Iſernia,
quòd ſi in caſtro vel iuriſdictione alicu
ius vaſalli committatur crimen læſæ
maieſtatis, non domino ſubalterno, ſed
domino maiori, ſcilicet Duci, vel Regi,
bona confiſcantur, quando eſt clauſula
reſeruatiua, de qua ſupra, in infeuda-
tione facta à Rege, vel Duce de dicto
caſtro, & ibi idem dicit Marti. Lauden.
col. fin. verſic. pone in caſtro. & verſ. ex
qua doctrina ſignabitis. ſequitur ean-
dem opinionem Afflic. in cap.1. §. illud
quoque, col.1. verſ. adde tamen, de pro-
hib. feudi alienat. per Feder. poſt Iſern.
ibi, col.1. verſic. ſecùs ſi eſſet allodium.
idem Afflic. in cap.1. quæ ſint regalia.
in verbis, & bona committentium cri-
men læſæ maieſta. num.9. & 10. dicens,
quòd in hoc crimine venit imponenda
pęna mortis, & publicatio omnium bo-
norum, vt notat. in l. quiſquis, C. ad leg.
Iul. maieſta. & ideò dicitur crimen ar-
duum, vt in cap.1. de cleri. pugnant. in
duello. & ſub generalibus verbis non
veniunt ardua, vt in l. non ſolùm, in
princ. ff. de procurat. de quo per Ludou.
Roman. in l. ſed & ſi quis, in §. quæſi-
tum, ff. ſi quis cautio. & per Ioann. Mo-
nac. & Ioan. And. in cap. in generali. de
regu. iur. in 6. & ſi Rex concederet, in-
quit, Baroni in terris ſuis, vel alicui Ca
pitaneo merum, & mixtum imperium,
in tali Ciuitate & Caſtris, cum omni-
bus prouentibus & introitibus, non ve-
nit cognitio criminis læſæ maieſtatis,
nec eius punitio, quia iſte caſus eſt re-
ſeruatus ipſi Regi; quia ſemper, in con-
ceſſionib. feudorum & caſtrorum cum
mero & mixto imperio, conſuetum eſt
reſeruari; & exceptio exprimi, videli-
cet, exceptis crimine hæreſis, falſæ mo-
netæ, & crimine lęſæ maieſtatis; & iſta
conſueta reſeruari, cenſentur reſeruata,
etiam quòd non ſit dictum, & expreſ-
ſum per tex. in cap. cùm M. Ferrarienſis,
de conſtitut. vbi Bald. dicit cum tex. ad
hoc notab. & meliorem text. qui ſit in
iure. & And. Barba. allegat ſimilem tex.
in l. generaliter, ff. de fideiuſſorib. vnde,
ſubiungit idem Afflic. vbi ſupra, ſe pro-
ptereà aliquando dixiſſe, quòd ſi in per-
petuum eſſent conceſſa aliqua regalia
in territorio, tunc venirent regalia, de
quibus ibi, in dicto cap.1. quæ ſint re-
galia. ſed non omnia, ut de crimine lę-
ſæ maieſtatis commiſſo contra Regem
concedentem, & alia, quæ ſunt reſerua-
ta Regi in priuilegium coronæ Regiæ,
vt dicit Luc. de Penna, in l.1. C. de pri-
uileg. ſchola. lib.11. eandem opinionem
cum prædictis, quòd bona in tali caſu
ſpectent ſuperiori domino, puta Regi,
uel Duci, tenet Guid. Papæ, quæſt. Del-
phin. 341. Aegid. Bellamera, conſ. 15.
& deciſ. 715. refert & ſequitur Chaſſan.
in conſuetudine Burgund. rubr. 2. §. 1.
tit. *des confiſcations*, in uerbo, *& appar-
tient la confiſcation*, ſub num.1. uerſ. ſed

Digitized by Google

verùm iſtud.& nu.31.verſic.limita tertiò.& in catalogo gloriç mũdi,d.par.5. conſidera.24. verſ.19. ipſis etiam competunt. Paris de Puteo de ſyndicatu,titu. de exceſſibus Baronum erga ſubditos, num.8. & nu.13. dicens, quòd qui habent regalia in regno, ex priuilegio ſibi generaliter conceſſo,non creant notarios, nec monetam cudere poſſunt, nec in crimine lęſæ maieſtatis cognoſcunt, & multa ad hoc tradit, vt per eum. & hanc opinionem tenuit nouiſſimè Aegid.Boſſ.in tit.de pęnis,nu.28. & 29.& ſecundum hanc conſuluit Nat. conſi.580. in ſecundo quæſito, num.6. & ſeq. & Rolan.à Valle conſ.78.lib.2. ac conſi.73. lib.4. ex quibus ſatis patet hanc eſſe communem opinionem.

Et,vt ea eſt magis recepta, ita eſt validis rationibus & argumentis munita; præcipuè autem pro ea primo loco adducitur, quòd cùm ipſe Princeps ſeu eius maieſtas offendatur,debent bona confiſcata ad eum pertinere, vt iniuriæ ſuæ habeat vltionem, vt dicit tex. in d.c.1. §.denique, titu.quæ ſit prima cauſa beneſi.amitt. &,vt ait Natta d.conſi.580. num.7.regula eſt,quòd pęna delicti cedit lucro eius, qui principaliter offenditur, vt is habeat iniuriæ ſuæ vltionẽ. l.cum emancipati. §.emãcipatus filius, ff.de collat.bonor.tradit Bart.in Auth. quomodo oporteat Epiſc. in §.& hanc, in princ.vbi ait,quòd illud quod auſertur alicui propter offenſam factam eccleſiæ applicatur ipſi eccleſiæ,cui ſit iniuria, & offenſa, vt not.in cap.quia clerici,extra de iure patron.multa alia iura ad hoc adducit, vt per eum, & diximus ſupra, comprobando per multa,& pro hoc eſt illa notabilis deciſio Oldradi, conſi.148. & Bald.in cap.1.col.pen. de Cap.qui cur.vendidit.quos ſupra ſæpe retulimus, volentiũ,quòd facta conceſſione militi, ſeu Comiti, per Principem, de caſtro, ſeu caſtellania cũ quarta omnium obuentionum, ſi aliquis ob delictum contra Principem ſuperiorem amittit bona quæ habet in dicto caſtro, hic miles inueſtitus non habebit quartam illorum bonorum, ſed illa inſolidum applicabuntur Principi offenſo, per dictam l.2.§. emancipatus filius, ff. de collatione bonorum. & l. at vbi. ff. de petitione hæreditatis, l. bonem, §.ſi quis ſeruo,ff.de ędilitio edicto.plura alia iura adducunt, & præcipuè adducunt textum in dicto §.denique.quæ fuit prima cauſa beneficij amittendi. qui textus probat hanc opinionem, arguendo à fortiori; nam, ibi, ſi feudum ob delictum in dominum commiſſum per vaſallum applicatur domino, vt habeat iniuriæ ſuæ vltionem, & priuantur agnati qui habent ius in feudo, à fortiori debent applicari domino bona ſubditi committentis crimen lęſæ maieſtatis,in quibus vaſallus nullum ius prætendere poteſt, vt infra probabimus.

Nec obſtat reſponſio, quæ datur aduerſus hoc fundamentum per Dominum Præſidem à Ponte, poſt Nattam conſil. 119. colum. ſecunda. dum dicitur, quòd ſatis militat ratio vltionis iniuriæ ſeu offenſæ in dominum ſuperiorem commiſſæ per ſubditum vaſalli, ex eo, quòd delinquens priuatur bonis, licet illa applicentur immediato domino; quia hæc reſponſio non eſt potens tollere argumentum, nam non ſufficit, pro ſatisfactione iniuriæ, ſeu offenſæ, ſola priuatio,quantum ad dominum offenſum, niſi etiam eidem fiat applicatio & addictio bonorum, & hoc eſt quod vult textus in dicto §. denique. dum dicit, quòd feudum aperitur domino, vt hanc ſaltem habeat iniuriæ ſuæ vltionem, quaſi dicat, vt nominatim ait ibi Baldus in principio. hoc modo ſatisfit de iniuria ipſi domino, applicando eidem feudum, & ita etiam declarat ibi Aluarot.colum.ſecunda, verſicu. nota regulam. & Afflictus in ſecundo notabili, notat ex eo textu, dicens, quòd domino iu-

Digitized by Google

-no iniuriato dicitur ſibi ſatisfieri, ſi feudum ſibi applicetur, & ad eum peruenerit.& poſt gloſ. ibi, in verbo, vltionem, adducit ſimile, quod dicitur de virgine iniuriata ſeu rapta, quòd habeat bona raptoris, in ſolatium ſuæ iniuriæ, vt in l.raptores, C.de epiſc.& clericis. & alia ſimilia adducuntur, vt per eos. quo fit vt lucro eius, qui principaliter offenditur, bona cedere debeant, non autem alterius; alioquin, ex ſola priuatione, ſine applicatione, non diceretur ſatisfactum iniuriæ domini, ęquũ enim eſt, vt commodum eum ſequatur, qui damnum & incommodum patitur, iux. reg.l.ſecundum naturam, ff.de reg. iur. & extra, eod.tit.cap.qui ſentit.cum concordan.allegatis vbique, per gloſ.& Docto. Natta verò, qui ea reſponſione vtitur, d.conſ.119. loquitur in caſu confiſcationis bonorum, quæ ſubditus vaſalli tenebat ab eo in feudum, quòd ea, per offenſam in ſuperiorem dominum factam, applicari debeant ipſi vaſallo domino immediato, à quo ea tenebat in feudum, non autem mediato, vt eſt tex.de hoc formalis, in c. 1. §. illud. de prohib.feud. aliena. per Feder. vbi omnes nota.tradunt Docto.in l. ſi finita.in §. ſi de vectigalibus, ff. de dam. infec. cum alijs, per eundem Nattam allegatis, d. conſil.119.col.1.& iſtius deciſionis ratio illa eſt, quia in talibus bonis feudalibus ſeu emphyteoticis vaſallus dominus immediatus habet directum dominium, cuius ratione dicuntur ſua, & ad eum ſpectare; & damnato aliquo de crimine læſæ maieſtatis, aut alio, ob quod bona auferuntur, non publicantur bona, quæ alijs debentur, & ad alios ſunt peruentura per mortem damnati. tex.eſt notab.in l.vlt.§.ſi in libertinum. ff. de bonis damnatorum.ibi, dum dicitur, *patrono eius id quod in bonis illius habiturus eſſet, ſi is, in quem animaduerſum eſt, ſua morte deceſſiſſet, eripiendum non erit*. latè Afflict.deciſ.282.in 2. dubio. nam vt in terminis dicit D. Aymo, conſ.128.num.6.allegatus per D. Præſidem, abſurdum ſequeretur, nempe, quòd dominus immediatus pęnam pateretur, ſi bona emphyteotica ſeu feudalia vaſalli domini immediati applicarentur Principi domino mediato, quia ipſe ea ab inferiore non recognoſceret, nec ab eo ſe inueſtiri pateretur, & ſic vaſallus ex delicto ſubditi damnum ſentiret, & eius odio grauaretur, quod eſſe non debet, quia alteri per alterum non debet iniqua conditio inferri. l.non debet alteri.ff.de reg.iur.& ext.eod.tit.cap.non debet.cum ſimilibus. Vnde, hoc caſu, talia bona ad vaſallum ſpectant, non ex ipſo crimine, ſeu ratione iuriſdictionis ſuæ, & imperij, ſed iure reuerſionis & conſolidationis vtilis dominij cum directo ſubalterno vaſalli, & ſic ratio vltionis iniuriæ ſuperioris domini non conſideratur; & licet videatur etiã tunc militare, attamen præponderat, & magis conſideratur ius alterius; ſed ſecùs eſt in bonis non feudalibus, in quibus vaſallus, per mortem ſubditi damnati, nullum ius habet; quia illa ſi domino mediato applicentur, vt ſuę iniurię habeat vltionem, non eſt quòd vaſallus conqueri habeat.

Secundò, pro eadem opinione etiam adducitur, quia confiſcatio bonorum, in crimine læſæ maieſtatis, eſt de regalib. vt in cap. 1. quæ ſint regalia. ibi, *bona committentium crimen læſæ maieſtatis*. regula autem eſt, quòd regalia non veniunt in generali conceſſione meri mixti imperij, niſi expreſsè dicatur. d.ca.1. quæ ſint regalia.ibi, *niſi quæ ſpecialiter*. vbi Doct.not. faciunt tex. & notata per Doct. in c. quod tranſlationem, de off. leg. ibi, *quæ in ſignum priuilegij ſingularis ſunt tantum Summo Pontifici reſeruata*. & in cap.penult.& vlt.de off.vicarij. imò, etiam facta conceſſione regalium in genere, non tamen veniret & intelligeretur conceſſum ius criminis læſæ maieſtatis, ſed nihilominus cenſeretur exceptum, vt determinat Paris de Pu-

teo,

teo, in ſuo tracta. de ſyndicatu. tit. de exceſſibus Baronum erga ſubditos. cap. 1. nume. 8. & ibi nume. 13. Infert, quòd propterea Barones, & alij vaſalli in Regno, habentes regalia, ex priuilegio ſibi generaliter conceſſo, non creant notarios, nec in crimine læſæ Maieſtatis procedunt, nec cudunt monetam; niſi expreſsè eis concedatur; nam licet ex forma priuilegij, inquit, ſpecialiter quaſi omnia regalia concedantur, dum in inueſtitura dicitur, cum montibus, planis, vijs, fluminibus, aquis, ripis, ripaticis, angarijs, perangarijs, pœnis, mulctis, condemnationibus; attamen, adhuc aliqua ſunt, quæ non conceduntur, ſed cenſentur reſeruata, ſcilicet, Notariorum creatio, bona committentium crimen læſæ Maieſtatis, & cudere monetam. idem vult Afflic. in d. capit. 1. in verbis, & bona committentium crimen læſæ Maieſta. nume. 10. dicens, quòd ſi regalia eſſent conceſſa in territorio, venirent quidem regalia ibi contenta, vt dicunt Paul. de Caſtro, & Felin. in locis ibi relatis, ſed non omnia, vt de crimine læſæ Maieſtatis commiſſo contra Regem concedentem, & alia, quæ ſunt reſeruata Regi in priuilegium Coronæ Regiæ. Affli. refert, & ſequitur Boſſius, tit. de regalijs, num. 29. vbi plures alios etiam refert. quibus addo Socin. iun. conſil. 76. num. 3. lib. 3. ſi itaque non venit tale ius conceſſione generali facta vaſallo, etiam cum regalibus, ſed cenſetur reſeruatum concedenti, non video quomodo, aut quo iure poſſit, aut debeat, in tali caſu, prætendere huiuſmodi ius ad ſe ſpectare. Vnde benè dixit Iſernia, confiſcationem bonorum, in crimine læſæ Maieſtatis, cenſeri reſeruatam, ex clauſula reſeruata ſuperioritatis, & alti dominij, conſueta apponi in inueſtituris vaſallorum. Nec vera eſt interpretatio, quæ datur dictæ clauſulæ per D. Præſidem, nempe quòd illa intelligatur reſpectu directi dominij, & quatenus id concernit, non reſpectu vtilis, quòd non videtur imminutum, inquit ex tali clauſula, ſi ampla iuriſdictionis ſit facta conceſſio. nam hæc declaratio non procedit, quia quãtum ad conceſſa, & translata in vaſallum, & ſic quantum ad merum, & mixtum imperium, ac omnimodam iuriſdictionem in eum translatam, Princeps concedens habet directum dominium, quòd nulla eget reſeruatione, quia de ſubſtantia, & eſſe feudi eſt, vt directum dominium apud concedentem remaneat, vtile autem in feudatarium tranſeat, vt tradunt Docto. in rubr. de feudis, & Curtius in ſuo tract. in prima parte princip. quæſt. 6. colum. 2. verſic. ex quibus. vbi enumerat requiſita ad eſſe feudi; aliter non eſſet feudum; ideò verum non eſt, quòd dicta clauſula intelligatur reſpectu directi dominij, & quatenùs id concernit, ſed neceſſariò intelligitur quantum ad reſeruata ipſi Principi concedenti, in priuilegium coronæ, prout ſupremum merum imperium, ſuprema iuriſdictio, & iura regalia maximè maiora, quæ nunquam translata cenſentur, ſed illa in Principe remanent pleno iure, quantum ad vtile & directum dominium; horum enim ratione nullum ius in vaſallum tranſijt: & ideò, cùm ex conceſſione uaſallus nullum ius habeat, dici non poteſt ex ea imminui in aliquo eius utile dominium; quia nõ entis nullæ ſunt qualitates. l. eius, qui in prouincia. ff. ſi cer. pet. priuatio enim præſuppoñit habitum, & ubi non eſt habitus non cadit priuatio. l. decem, ff. de uerbo. obligat. l. manumiſſiones. ff. de iuſt. & iur. cum ſimilibus. Vnde nec etiam uerum eſt quod dicitur, quòd, ubi confiſcatio bonorum reperitur conceſſa in inueſtitura, illa clauſula reſernationis non trahitur ad conceſſa, & ad utile dominiũ, ſed ad directum tantum refertur; quia, ut ex ſupradictis patet, licet per inueſtituram ſit conceſſa uaſallo confiſcatio bonorum, illud intelligitur pro delictis

in

in alios commiſſis, non autem de confiſcatione pro crimine læſæ maieſtatis, quia hæc cenſetur reſeruata, non verò conceſſa per generalem conceſſionem, iuribus ſupra adductis.

Tertiò, pro eadem opinione etiam adducitur, quia iuriſdictio in crimine læſæ maieſtatis, & punitio pariter eſt Principis, probatur in d.cap. 1. quæ ſint regal. nam ibi confiſcatio bonorum, in hoc crimine, dicitur eſſe de regalibus; quòd ſi pœna, quæ eſt conſequens, eſt de regalibus, multò magis antecedẽs, & cui attribuitur conſequens, conceditur etiã omne id per quod peruenitur ad illud. l. ad legatum, & l. ad rem nobilem, cum ibi not. per gloſ. ff. de procur. cap. quoniam, de ſent. excomm. lib. 6. & §. idem iuris, Inſtit. qui & ex quibus cau. manumit. non poſſ. conceſſo enim fine, conceſſa videntur & ea, per quæ ad finem deuenitur, iuribus prædictis; & quòd iuriſdictio ſit Principis, in hoc caſu, omnes ſcribentes volunt, in d. cap. 1. quæ ſint regalia. præcipuè Afflic. d. num. 10. quia non eſt veriſimile Principem voluiſſe, vt inferior ſuus vaſallus cognoſceret de crimine in eũm commiſſo, & offenſa ſibi facta, ſed cenſetur ſibi reſeruaſſe cognitionem, vt inquit Boſſ. in titu. de pœnis, num. 28. cum ſit crimen enorme, & arduum, propter quod multa inducuntur ſpecialia, quæ enumerat Afflic. in dicto c. 1. quæ ſint reg. d. verbo, bona committentium. vnde non venit in generali conceſſione, niſi expreſsè dicatur, iuribus ſupra adductis. Hinc ergo ſequitur, quòd, ſi iuriſdictio, & punitio eſt Principis, nec cenſetur tranſlata in vaſallum, ergo pœna confiſcationis ad eum quoque ſpectare debet, quia eſt fructus ſuæ iuriſdictionis, iuxta tradita per Doctor. in l. fin. ff. ſol. matrim. & cui competit principale, datur & acceſſorium, §. ſi tamen, Inſtit. de rerum diuiſ. cum ſimilibus, no. in l. cum principalis, ff. de regu. iur. & in cap. acceſſorium, extra eod. tit. & ideò, in propoſito, dicit Iſern. in cap. 1. ſub nu. 16. verſic. ex his videmus, quæ fuit prima cauſa beneſi. amit. ad quem pertinet iudicium de perſona proditoris, pertinebit ergo & rerum, quæ ſumunt à perſona conditionem, & ſtatum. C. de impo. lucra. deſcrip. l. 1. lib. 10. & idem Iſern. in titu. de pac. tenen. §. ſi verò violator in verbo, hęredes. ait, quòd, ex quo perſona eſt Regis, quæ condemnat de crimine, ergo & bona, quæ ab alio non tenet, erunt fiſci Regis, nam res ſumunt conditionem à perſona, non econtra. allegat d. l. 1. C. de imp. lucra. deſcript. & ff. de ædil. edic. l. iuſtiſſimè. &, vt in propoſito etiam dicit Carolus de Graſſalio. in ſuo tract. regal. Franc. iure 14. col. 10. verſ. 15. cognoſcunt Regij officiales, quòd cùm maior ſit cognitio ſeu condemnatio ad mortem, quàm confiſcatio, quæ eſt acceſſoria, & principale trahat ad ſe acceſſoriũ; ſequitur, quòd data cognitione, ſeu cõdemnatione Iudici Regio, datur & ipſa confiſcatio Regi, & maximè, quia de facili reuertitur ad ſuam naturam, vt ait, l. ſi vnus, §. pactus ne peteret. ff. de pact. cum regulariter, & de mero iure, ad ipſum Regem pertineant confiſcationes, ſecundum Bart. in l. 1. C. de bon. vac. lib. 10. & eſt de regalib. d. cap. 1. quæ ſint regalia, & eſt tex. in c. 1. §. ſi quis aliquem, de pace tenen. & ibi Aluar. de quo per Aegid. Bellam. deciſ. 107. aliàs eſt 725. Et ſic ex prædictis patet, quòd ad vaſallum ſpectare non poteſt commodũ, & emolumentum, in caſu iſto, quia ſua non eſt iuriſdictio, & imperium.

Nec obſtat, quòd in crimine lęſæ maieſt. diuinæ bona ad vaſallum ſpectant, vt determinat Guid. Pap. q. 76. per tex. in cap. cum ſecundum, §. fin. de hęret. in 6. & Crau. d. conſ. 128. ergo etiam in crimine maieſtatis humanæ ad eum ſpectare debent; eò quòd non magis tribuendum ſit humanæ maieſtati, quàm diuinæ, vt ex aduerſo dicitur; quia ad hoc, reſpondetur diuerſam eſſe rationem

nem inter vnũ caſum,& alterum; nam, vt dicit idem Crau.d.conſ.128. col.fin. verſ.6. dico. in crimine lęſæ maieſtatis humanæ militat ratio ultionis iniuriæ factæ Principi domino ſuperiori, quæ ratio ceſſat in caſu lęſæ maieſtatis diuinæ, vt per eum; ideò nimirum ſi uno caſu ad unum confiſcatio ſpectat, alio verò ad alium; Sed aliam puto eſſe rationem, cur in caſu lęſæ maieſtatis diuinæ bona non ſpectent ad Principem, ſed ad vaſallum; quia, in hoc caſu, iuriſdictio, ſeu cognitio, & punitio non eſt Principis, neque etiam vaſalli, ſed iudicis eccleſiaſtici; quia crimen hæreſis eſt crimen merè eccleſiaſticum, cuius laicus eſt incapax. c.vt inquiſitionis, de hæret. in 6. & cap.cùm ſit generale, de foro compet. & vbiq; Doctores notant. & ideò nimirum ſi tunc non applicantur bona Principi, cùm ceſſet ratio vltionis, & ſit etiam defectus iuriſdictionis; ad vaſallum autem ſpectant, & ipſi applicantur, quia bona ſubditi ſui damnati de hæreſi ſunt in ſuo territorio ſibi infeudato; & confiſcatis bonis alicuius exiſtentibus in diuerſis territorijs, quilibet dominus habet bona ſui territorij, & ſuo fiſco applicantur, etiamſi confiſcatio alibi ſit facta, vt tradunt Bart.Bald. & alij communiter in l.cunctos populos, C.de ſumma Trin.& fide cath. cum alijs per eundem Crauettam relatis, d.conſil.128. in princ. & Guid. Pap. d.quęſt.76. verſic.quod intelligendum eſt. & ita tradunt Ioan.Andr. Anchar. Gemin. & Philip. Franc. in dicto cap.cum ſecundum, in verbo, confiſcationis, de hæreticis, in ſexto. Concluditur itaque, in hoc articulo, quòd in crimine lęſæ maieſtatis, commiſſo per ſubditum uaſalli, cognitio, ſeu punitio, & confiſcatio bonorum ad Principem offenſum ſpectat, non autem ad uaſallum, & ita iuris eſſe cenſeo, ſub correctione.

Ego Antonius Bagnaſaccus Aduocatus generalis Sereniſſimi Ducis Sabaudiæ.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA